

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

4  
44

NOVA MONSTRA  
NOVI ARIANISMI.  
S E V

ABSURDAE HAERESSES  
*à Novis Arianis in Poloniam importatae.*

- I. *Duos Deos Christianis colendos esse.*
- II. *CHRISTVM Semideum & Semidominum tota vita sua fuisse.*
- III. *CHRISTVM esse Filium Dei Metaphoricum.*
- IIII. *CHRISTVM pro peccatis nostris non satisfacisse, nec satisfacere potuisse.*

REFVTATÆ

P. MARTINO SMIGLECIO  
SOCIETATIS IESV.  
S. Theologiæ Doctore.

Permissu Superiorum.

N I S S Æ

*Imprimebat Crispinus Scharf-  
fenberg. ANNO*

M. D C. XII.

*Inscriptus Catalogo Sonty Varsaviae Junii 1751*

2473

27

VI-10

85

ILLVSTRISSIMO ET  
REVERENDISSIMO DOMINO

*Dn. Petro Tylicki Episcopo Cracouien: Duci  
Seueriensi &c. Domino in Christo  
obseruandissimo*

*AVTOR SALVTET MET FELICITATEM.*



**I**Nter omnes varia-  
rum hereseon errores, & à Ca-  
codæmone profeminata Ziza-  
ria, Illustrissime Antistes, nul-  
lam arbitror tetriorem inue-  
niri pestem, Ariana perfidia.  
Nam quantum hac olim affli-  
xerit Ecclesiam Dei, & communem pacem fidelium  
perturbauerit; quivis in Ecclesiastica Historia non  
planè peregrinus, facile videt. Testis ejus rei est O-  
riens pene uniuersus, qui ea labe semel deformatus,  
nec dum in hodiernum diem pristinum recuperare  
potest splendorem. Testes omnium ferè seculorum  
Patres, quibus ea cura unica fuit, quà voce, quà scri-  
ptis eam pestem ab animis fidelium propulsare; adeò,  
ut è tanto numero vix aliquem reperias, cujus inge-  
nium in Ariana heresi confutanda non desudauerit.  
Et sanè meritò. Cor enim & caput ipsum Religionis,  
Heresis



4  
44

*Heresis Ariana petit, & totum fidei fundamentum evertit. Quemadmodum enim in corporis morbis ij periculosissimi habentur, qui precipua membra, totius vite sedes ac domicilia obsident: ita inter omnes hæreses ea grauisima existimari debet, quæ cor ipsum Religionis (Christum videlicet) petit. Parant quidem & aliæ Hereses certum homini exitium: neq; exiguum aut leve habendum est; etiam in minimis Deo fidem negare, quod veritas diuina etiam in minimis sit summa; etsi vel in minima re in dubiū vocetur; tota ejus authoritas & dignitas corruat necesse est: verum hæresis Ariana hoc cæteris perniciosior est, quod non solam fidem diuinis oraculis abroget, sed & blasphemam in Deum sit, & in Christū contumeliosa. Etsi enim in speciem Christum extollere videatur; id tamen eò tandem recidit, ut Christus, Metaphoricus Deus credatur, & veri Dei gloria, quæ non nisi diuinæ nature respectu Deo tribuenda est, eo ipso spoliatus existat. Quod si Religionis Christianæ splendor in eo positus est, ut summus Christo Deo honor tribuatur: quis non videt Arianam sectam, Religionis Christianæ certissimam esse pestem & interitum? Quocirca quibus Christi honor charus est, & Religionis dignitas cordi; in id unum omnibus animi & corporis viribus incumbere oportet, ne ejusmodi Acherontinum virus vires suas exerat. Com-*

*moue-*

*mouerat quidem id malum ante non multos annos Evangelicos nostros, cum scripto publice edito docuerunt, Arianos ad eam Religionis immunitatem, quæ confœderatio nostris dicitur, minimè pertinere debere; quod ex se horrendum videretur, publicam jure communi fieri potestatem, diuinam Christi Majestatem blasphemandi, & quidlibet de Deo asserendi, neq; Ariani aliud, quo se tuerentur, habebant, nisi quod ex Evangelicis prognatos se dicerent. & iisdem viuis ad negandam diuinam Christi naturam peruenisse, quibus Evangelici ad alios Fidei Catholice articulos abjurandos peruenierunt. nempe illa scripturarum cum scripturis libera collatione. utinam verò & Catholicos nostros ejus mali magnitudo percelleret, fieret profectò ut non facile mellitis & ad fallendum compositis Arianorum vocibus, aurem præberent, sed exhorrescerent potius & execrarentur, atq; indignum sanctimonia Christiana ducerent, tam sacrilegis blasphemis vel auditum ipsum prophanare: neq; sinerent ad perpetuam Christi, & gentis nostræ ignominiam eas typis evulgare. Tua sanè Illustrissime Antistes in Ecclesia Dei gubernanda, & pestibus istis reprimendis vigilantia ea est: ut nihil majus tibi ducas, quàm ne qua boni Pastoris pars in te desideretur: nihil magis doleas, quam cum oues tibi concreditas (quarum salus tibi vita ipsa carior est) hæresum erroribus obligatas vides a Cacodemone in cer-*


*(3)*

*tum*

*tum exitium agi. Præcipue verò Zelus tuus elucet in Ariana perfidia, qua Rakouium tuum infame est, detestanda: ita ut ad ejus vel leuissimam mentionem te audiente factam, exhorrescas. grauisissimorum illorum in Nicæna Synodo congregatorum Patrum exemplum sequutus, qui ad similes Arii blasphemias, cum in Concilio legerentur, aures suas obturauerunt, Athanasio teste, ne tanta fœditate tam sanctæ aures polluerentur. Quocirca in id unum incumbis, ut tum verbo veritatis, tum salutaribus monitis, tum doctorum virorum submissis præsiidiis, miseri, & à maligno spiritu dementati homines, lucem veritatis aspiciant, & Catholicæ fidei jugo colla submittant. Quæ res me impulit, ut cum tuo ductu aliqua in lucem ante prodiderim ad Hæreticorum errores refellendos, nunc cum nouis Arianorum monstris conflicturus, tuo nomini scriptiorem meam dedicarem: ut ea ratione & tibi creditis à Christo ouibus, veluti antidotum & amuletum quale quale suppeditarem, & animi mei erga te studium hoc officij genere profiterer. Caterum ita mihi persuadeo, te istum exiguum laborem, ea qua soles alacritate & beneuolentia suscepturum, atq; eo loco qui pro diuino honore acta de-  
cet habiturum.*

*Cracouia ad S. Barbaram.*

CANDI-



CANDIDO LECTORI.

**N**ou Africa solum monstrorum ferax Candide lector, plura, majoraq; fert Hæresis Ariana, nisi fortè opinionum portenta minora quis existimaverit, quàm corporū. Racouium Poloniæ minoris oppidum, novorum Arianorum sedes est horum monstrorum seminarium. Ex hoc barathro prodiere Faustus Socinus, Ioannes Statorius, Valentinus Smalcus, Hieronymus Moscorouius, cæteriq; Arianorum dogmatum architecti novis & prodigi-osis de Deo & Sacramentis opinionibus infames, quas è tenebris in lucem scriptis proferre effrontes non sunt veriti, Cacodæmonem ipsum in uentionibus impiis adæquaturi. Horum igitur monstrosi errores, ex innumeris ad quatuor capita reuocati, in hoc libro confutantur; præcipue verò quos habet Socinus in refutatione V Viueci & Bellarmini, Statorius in responsione ad librum nostrum de Divinitate Christi, Smalcus in libro de Divinitate Iesu Christi, Moscorouius in variis contra Petrum Scargam libris. Porro his omnibus eadem operâ satisfacimus, quod eosdem errores è schola Socini haustos jisdem argumentis tueantur; ita ut vno difflato, reliqui in fumum abiisse censeantur. Cæteras istorum affanias, si per vitam & ocium, ita Deo disponente licuerit, propediem te speres ad majorem talium prodigiorum detestationem aspecturum.

Vale.

NOVA MONSTRA  
NOVI ARIANISMI,

SEV

*Absurda haereses à novis Arianis in Poloniam  
importatae.*

CAPVT I.

Arianos nullo modo Christianos dici posse.



*Elint, nolint Ariani, dici Christiani nequeunt. Qua enim ratione Christianus dicendus est, qui Christum verbo quidem praedicat, re autem ipsa negat? Ut enim qui hominis essentiam inficiatur, hominem tollit; ita qui Christi propriam essentiam pernegat, verum Christum tollit, & sub Christi nomine Chimeram quandam, seu Christum confictum obtrudit. Neq. enim Christus vox nuda est, sed res voce significata, quam qui non admittit, etiamsi vocem teneat, dat sine mente sonum. Quare sicuti Idolorum cultores, & si Deum se colere profiterentur; quia tamen sub Dei nomine, non illius qui verus est DEUS, sed falsos Deos colebant; nequam veri Dei cultores dici poterant. Ita qui sub Christi nomine verum Christum diffitentur, nullo modo Christiani dici merentur. Tales porro sunt Ariani nostri, qui divinam Christi Essentiam atque naturam negant; sine qua Christus non magis est Christus, quam sine sua essentia homo.*

*Divina, inquiunt, essentia, non est Christi essentia. Si ita est, non igitur Christiani ab Apostolis verum Christum didicerunt.*

A

Totus

Primi Christi  
iani ab A-  
postolis do-  
ctrinam de  
divina Chri-  
sti natura  
acceperunt.

Totus enim Christianus orbis ab Apostolis edoctus ad Ariū usque tempora, Christum natura & essentia Deum credidit. Quod cum Arius post Apostolorum tempora in dubium revocare cœpisset, tanta in toto Christiano orbe commotio facta est, ut tanquam ad rem nunquam ante auditam profligandam, & commune incendium restinguendum, ex omnibus mundi partibus trecēti, decem, & octo Episcopi ad Generale Concilium Niceam convolarint; ubi & Ario omnium Christianorum nomine anathema dixerunt, & Christi divinā essentiam, uti ab Apostolis traditam acceperunt, Symbolo fidei edito confirmarunt. Alioquin quid opus fuerat totum mundum ad Concilium advocare, si orbis universus idem de eo, quod Arius sensisset? Longè alius igitur Christus est Ariani, quam omnibus Christianis antè fuit ab Apostolorum temporibus. Quare uti illi Christiani veri erant; ita isti nullo modo esse possunt; ut pote, qui aliam, & longè diversum Christum colunt. Quin Antichristianos potius quam Christianos verius dixeris; siquidem Christum, quem veri Christiani predicant, isti oppugnant, atque evertunt, tanquam jurati Christi, & Christianorum hostes. Tantum abest, ut habeant aliquid cum veris Christianis commune.

Scripturas  
orbis Chri-  
stianus de  
divina Chri-  
sti natura  
intellexit.

At scriptura, inquiunt, non talem Christum indicat. Opinione ipsorum, fateor, at non fide totius Christiani orbis. An verò credibile est, quod universus orbis fidem de Christo falsam & erroneam, & scripturis repugnantem ab Apostolis acceperint? Num alia predicarunt Apostoli, alia scriptis consignarunt? Quis verò sensus doctrina Apostolica verior esse potest, quam quem mentibus eorum, quos doctrina fidei illustrarunt, impressum relinquerunt? Num illi, qui mille sexcentis annis post Apostolos fuerunt, melius sententiam Apostolicam assequuti sunt, quam illi Apostolorum familiares, qui suam fidem cum eorum doctrina non semel contulerunt, & ad regulam ipsorum accommodarunt? Sanè tum ex doctrina, tum ex scripturis Apostolicis de divina Christi natura fidem orbis

orbis didicit universus: Qua nam igitur ratione sunt isti magis oculati, quam totus mundus, ut soli videant, quod mundus non vidit hactenus? Neque enim universi, qui fuerunt in mundo fideles, scripta Apostolica aut non viderunt, aut contempserunt, aut non intellexerunt: nisi forte quis dixerit, eos absq; ullo divino testimonio rem tam arduam, & creditu difficilissimam, in toto terrarum orbe credidisse, quod esset omnium miraculorum longè maximum. Ut rectè D. Aug: 22. de Civitate argumentatur: Cum vix ullum dogma sit; ita facile, & perspicuum; in quod totus mundus huc usque conspirare, nemine repugnante, potuerit. Quamquam & divina providentia fidem Christi illico in toto mundo interire, & omnes in errorem abduci tot seculis contra sua promissa non permisisset, cum summo Christianæ Fidei, & regni Christi detrimento. Hi potius nihil videre censendi sunt, qui ea non vident, quæ omnes vident, quiq; se solos sapere, cæteros omnes errare arbitrantur: qui deniq; contra communem omnium sensum sentiunt, & loquuntur. Quales cum sint Ariani, & contrariam de Christo doctrinam, ex scriptis Apostolicis eliciant: nihil minus, quam mentē Apostolorum assequi, sed longissimè ab ea aberrare existimandi sunt, more hæreticorum omnium, qui ex iisdem scripturis suas hæreses depromunt, ex quibus veri Christiani veram fidem acceperunt, nimirum proprio iudicio condemnati. Quia enim iudicium proprium Ecclesiæ, & totius Christiani orbis iudicio anteponunt, & contra Apostoli decretum propriam in scripturis interpretationem sequuntur: ideo turpiter in scripturis impingunt, affectu iudicij proprii excecati. Hoc verò est omnium hæresum seminarium.

Ariani scri-  
pturas non  
intelligunt.

Nefas esse, aiunt, eos, qui Christum non solum publicè confitentur, & predicant; sed etiam summis honoribus afficiunt, à Christianorum nomine repellere. Nefas igitur erit, gentilibus, & Idololatriis quibusvis, Dei cultorum nomen denegare. Nam & ipsi sua Idola, ligna, & lapides pro Dijs veris colunt; eaq; summis honoribus

Non sunt  
veri Christi  
cultores.

ribus afficiunt. Quemadmodum igitur isti, quia circa Dei veri essentiam errant, nequaquam Dei cultores dici possunt, quantumvis, se verum Deum colere jactitent; Ita & Ariani, quia circa Christi essentiam errant, Christiani dici nequeunt, quamvis Christum verum se credere, & colere gloriantur. Neque enim Christiani à Christo existimato, & secundum cuius vis phantasiam effictio; sed à vero Christo, prout ab Apostolis predicatus, & à toto mundo creditus est, nomen acceperunt, ita qui non illum, sed alium, hoc est, alterius essentiae Idolum loco ipsius consistunt, & colunt, Christiani verè dici non possunt. Iam quod à se Christum summis honoribus affici gloriantur: tantum à vero abest, ut nulli magis, quam ipsi omnibus Christum honoribus spoliarent, & summa afficiant ignominia. Summus Christi honor est, Deum verum esse, Deiq; verum filium. Omnes alij honores quatuorvis magni sint, hujus respectu sunt exigui, & infinitis ab eo partibus superantur. Infinito igitur honore Christum spoliarent Ariani, cum eum veri Dei, & veri filij Dei honore privant. Ac quemadmodum nulla majori, ignominia potest affici verus Regis filius, quam si talis esse negetur; ita summa Christus ignominia ab Arianis affici credendus est, cum eum proprium & naturalem Dei filium ex Dei substantia ante secula genitum negat; Fucusq; & simulatio honoris non honor dicendus est, is qui Christo ab Arianis honoris loco impenditur, indignationemq;, & justam Dei iram contra hujusmodi perduelles provocat.

Verum non illa una solum ratione Arianos Christianos esse negamus, quod verum Christum non agnoscant; sed etiam ob absurdissima quæq; & Christiano nomine indignissima dogmata in Ecclesiam Dei ab ipsis importata ad summam Christi, Religionisq; nostræ ignominiam. Ex quorum numero sunt ea ipsa, quæ in hujus libri facie posita sunt, quæq; infinitam istorum in rebus Religionis opinandi licentiam & absurditatem satis demonstrant. Nempe plures Deos colendos esse; Christum semideum, semidominumq; ante Resurrectionem

Christum summo honore spoliarent.

Aburda docent.

rectionem fuisse. Non esse Christum verum, & naturalem Dei filium: neque pro peccatis nostris ullomodo Deo, vel satis fecisse, vel satisfacere potuisse. Bone Deus! quid atrocius ipse capitalis Christiani nominis hostis contra Christum, religionemq; ejus evomere potuisset? Et tamen isti p; scilicet homines cum tam impiis dogmatibus, prodigiosisq; blasphemis Christiani dici, & esse contenti dunt, cum nemo Christianorum sit, qui ea vel aequis auribus ferre possit, vel audiens non exhorrescat, & toto corpore contremiscat. Nostrum igitur institutum est, in hoc libro divinis testimoniis & rationibus adductis, hæc errorum monstra profligare, & divinam veritatem hominibus patefacere.

## Prima pars Refutationis de duobus Diis colendis.

Deorum multitudo eum scripturis, tum rationi manifestè repugnat.

### CAPUT II.

**A**riani per Poloniã, Fausto Socino duce, non solum non verentur asserere duos essentia distinctos Deos Christianis colendos esse; Verum etiam id esse proprium, & singulare Christianæ Religionis mysterium affirmant. Aiunt enim ex scripturæ testimoniis: nihil magis constare, quam præter Deum Patrem, Christum quoque diuino honore afficiendum esse: ex quo consequi putant, duos Deos colendos esse. Verum quantum ea omnibus scripturis repugnet, vel ex eo potest intelligi, quod nullum Fidei dogma est tam perspicue in scripturis expositum, tamq; variis loquendi modis explicatum, uti hoc, unum Deum esse, illumq; solum pro Deo habendum, & colendum. Neque enim solum scriptura nudè affirmat, Deum esse unum; sed ita unum; ut præter illum non sit alius. Deut.

Vnus Deus secundum scripturas coli debet.



4. v. 35. & extra illum non sit alius. 1. Reg. 2. v. 2. & ante illum  
& post illum non sit alius. Isa. 43. v. 10. Præterea ita unum, ut so-  
lus sit Deus. Deut. 32. v. 39. Videte quod ego sim solus, & non est  
alius præter me. Et quod non sit alius similis ipsius Deus in cælo  
desuper, neque in terra deorsum. 3. Reg. 8. v. 23. Quis ex tam ac-  
curata unius Dei assertionem non colligat, præter unum Deum, nul-  
lum alium pro Deo colendum esse? Ac nequis forte existimet, id in  
Lege tantum veteri, & pro veteri Lege dictum esse: idem in Nova  
quoque Lege isdem verbis repetitum est. Marc. 12. assertitur id esse  
primum omnium, & maximum mandatum. Audi Israël Dominus  
Deus tuus, Deus unus est. Si igitur primum, & maximum Dei mā-  
datum est, de uno Deo colendo: nihil ita divinis mandatis adver-  
satur, ac Deum unum non admittere, aut alium ab illo uno distin-  
ctum colere. Imo illis verbis, Deus tuus, Deus unus est, Dei cultor-  
es ab Idolorum cultoribus distinguuntur, sensus enim est. Aliorum  
quidem Dii plures sunt, non unus. Tuus autem, quem tu colis, Deus  
unus est; & non est alius præter eum. Deinde ibidem v. 32. Cum  
Scriba respondisset quia unus est Deus, & non est alius præter eum,  
Christus non solum illum collaudavit, quod sapienter respondisset;  
sed etiam non esse longè à regno Dei pronuntiavit. Quod de his di-  
ci non poterit, qui præter unum Deum, alium Deum credunt, & co-  
lunt. Paulus verò 1. Cor. 8. v. 4. ita expressè idem docet, ut dubi-  
tare nemo possit. Scimus inquit, quia Idolum nihil est in mundo,  
& quod nullus est Deus, nisi unus, Deus igitur idolis oppositus, seu  
qui divino cultu, quem idola non merentur, verè affici potest, non  
est nisi unus. Quin ea veluti propria nota Christianos ab aliis Dei  
cultoribus eo in loco distinguit Apostolus, quod alii, plures Deos ag-  
noscant, & colant, Christiani vero, non nisi unum Deum. Ita enim  
ait: Nam etsi sint, qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (sunt e-  
nim Dii multi & Domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater ex  
quo omnia, & nos in illum, unus Dominus, IESUS CHRISTUS per  
quero

Etiā in  
lege nova.

1.

2.

quem omnia, & nos per ipsum. Quasi diceret, ad nos, qui Christia-  
ni sumus, plures Dii & Domini non pertinent, sed unus est noster  
Deus, unus Dominus. Nam etsi non solum Pater, sed & Christus sit  
noster Deus & Dominus: non duo tamen Dii aut Domini sunt; sed  
unus Deus & unus Dominus: cum Christus & Pater sunt unum.  
Iam verò Christus, Ioan. 17. ita omnem Deorum multitudinem re-  
iicit, ut vitam æternam in eo constitutam dicat, si is, qui solus est ve-  
rus Deus, cognoscatur. Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant  
te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Apud  
Matthæum & c. C. 4. v. 10. negat expressè plures Deos coli debe-  
re; sed unum solum Dominum Deum tuum adorabis, & illi  
soli servies. Ex quibus omnibus manifestum est, nihil tam dilucidè,  
& omnibus dicendi formis in scripturis explicatum esse, quam u-  
num Deum esse; & præter illum alium non esse.

Verum ratio quoque manifesta idem convincit. Si enim essent  
plures Dii, vel essent omnes summi & independentes, vel unus  
ab altero dependeret, essetque alteri subordinatus. Primo modo Gen-  
tiles, plures Deos statuebant; posteriori modo nostri Ariani sta-  
tuunt. Vterque autem modus est impossibilis & implicans contradi-  
ctionem. Nam si plures Dii summi & independentes statuuntur,  
unus proculdubio in alterum potestatem non habebit (alioqui non  
erunt independentes) nullus igitur illorum erit omnipotens: ac ex  
consequenti nullus illorum erit Deus verus. Qui enim potest esse  
Deus, qui non sit omnipotens? Nam qui est eiusmodi, potestatem  
proculdubio habebit restrictam & limitatam, & ex consequenti, ab alio  
dependebit à quo restrictum & limitatum esse accepit; & sic non  
est Deus, quia non est independens. Nam & creaturas omnes ab  
alio esse & dependere, idcirco dicimus, quod esse restrictum & li-  
mitatum habeat: quod enim restringitur, & limitatur, ab alio re-  
stringitur & limitatur: ipsum enim seipsum non restringit & limi-  
tat ad esse. Alioquin, si hoc negetur, nulla erit ratio, quo minus crea-  
turæ

3

4

Ratio con-  
cit non est  
plures  
Deos.

Plures Dii  
summi &  
independen-  
tes esse non  
possunt.

turas omnes à seipsis habere esse dicamus cum id unum eas ab alio esse indicet, quod esse restrictum & limitatum habeant, necesse est, sit assignare aliquem, qui illas restrinxerit, & certos fines imposuerit essentis & perfectioni ipsarum. Pari igitur ratione, si Deus talis esse statuatur, ut potestatem restrictam habeat, nullo modo dici poterit independens; sed ad modum alterum creaturarum à Deo omnium creatore dependebit. Patet ergo, ex multitudine Deorum independentium id consequi, ut nullus illorum sit Deus, nullus independens.

Repugnat Deum esse dependentem & subordinatum.

I  
Dependere est Minister.

Iam si statuatur ita plures Dij, ut unus sit summus & independens, alter vero à summo, & independenti Deo dependeat, sitq; illi per omnia subordinatus: ex ea positione sequitur illum dependentem & subordinatum Deum non esse Deum. Nihil enim ita Deo repugnat, ac dependentia. Nam qui dependet ab altero, in eo in quo dependet, est alterius minister: nihil enim aliud Ministerum facit, nisi potestas à Domino dependens. Si ergo Deus statuatur ab altero dependens: eo ipso non erit Deus, sed Dei minister. Ac quemadmodum is, qui potestate à Rege accepta toti regno præest, illudq; gubernat, nequaquam Rex dicitur; sed vel prorex, vel Generalis Regis vicarius, solum ex eo, quod ad Regis dignitatem summa & independenti potestate opus sit; ita si quis statuatur potestate à Deo accepta, Dei nomine, hominibus & Angelis præsidere: is proculdubio non Deus, sed supremus Dei Minister, & Generalis vicarius dendus esset. Accedit, quod ea ratione conuenit alicui Deum esse, qua

2  
Non Domini.

Gentiles sapientius plures Deos statuerunt quàm Ariani.

Dominum. At quis eum dixerit Dominum, qui nihil ex se possit; sed omnia faciat alterius potestate, & nutu: in eo enim non Domini sed Ministerii officium & potestatem exercet: quod potestas domini, sit independens ab alio; Minister autem nil nisi dependenti à Domino potestate facit. Nulla igitur ratione is Deus erit, qui sit ab alio in omnibus dependens. Quocirca & Gentiles & si in eo errarent, quod plures Deos statuerunt, tamen in suis Diis statuendis paulò sapien-

tius egerunt, quàm Ariani nostri: siquidem omnes summos, & independentes in suo genere esse voluerunt, notione propria Dei re-tenta, quæ requirit, ut Deus sit quid summum, & independens. Et si enim aliquos Deos maiores, aliquos verò minores statu-erent, & inter omnes unum maximum: singulis tamen summam in aliquo genere potestatem attribuebāt; & cum summa potestate certis quibusdam rebus præsidere volebant, Neptunum, V. G. mari, Cererem frugibus, Vulcanum igni, Iunonem aëri, Iouem cæ-lo, Martem bello; quos verò vel pluribus, vel nobilioribus rebus præsidere credebāt; eos alii maiores appellabant, licet omnes in suo genere summos esse contenderent: At Ariani insipientissimè à Dei propria notione recedunt, cum Deum dependentem faciunt. Præes enim aliena potestate, non est præesse ut Deum; sed ut Dei locum gerentem, & Dei ministerium. Quapropter etiam Christus respectu eius potestatis, quam ut homo à Deo accepit, Minister Dei non Deus appellatur. Sic enim Paulus in Epistola ad Hebræos

Heb. 8. v. 2.

considerans Christum, ut suprema Pontificis potestate præditum nominat Sanctuarij Ministerium, eiq; non Dei, sed ministri Dei officia tribuit, interpellandi pro nobis, & astandi vultui Dei, pro nobis, offerendi Deo sacrificium, & similia. Ex quibus omnibus perspicuum est, manifestam contradictionem inuolui, si Deus dependens, & subordinatus statuatur.

Obiecta

Verum aduersus ea, quæ pro vnius Dei assertionem adduximus, Ariani opponunt primò, & aiunt scripturam admittere plures Deos, vni summo Deo subordinatos: Id enim Christus ipse, Ioan. 10. adducto Psalmi testimonio probauit. Scriptum, inquit, est in lege vestra. Ego dixi Dii estis. Paulus autem 1. Cor. 8. disertè ex propria sententia ait: siquidem sunt Dii multi, & Domini multi.

Responso Dii Metaphorici colā nō possunt.

Fateor in scriptura plures Deos admitti; sed metaphoricos non veros. Metaphoricè enim homines, ob aliquam cum Deo similitudinem Dii dicuntur; sicut homo pictus ob exterioris formæ similitudinem

B

nem

nem homo dicitur. Sic in Psalmo 83. Iudices, Dii appellantur; propter similitudinem diuina potestatis: Dei enim locum tenent. & Dei potestate iudicant. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Sic Moyses Deus Pharaonis appellatur propter diuinam potestatem ad miracula e ienda sibi communicatam. Porro tales Deos non esse veros, vel ex eo conuincitur, quod nullus illis propterea quod Dii nominantur, diuinus cultus debetur, nec quisquam eos pro Diis colendos unquam dixerit. Nihil enim diuinum in se habent prater Dei similitudinem: at quemadmodum hominis similitudo non facit, ut pictus homo pro vero homine habeatur, ita neque Dei similitudo facit, ut quis pro vero Deo haberi, & coli possit. Ex quo patet, absurdissimos esse Arianos, cum Christum pro Deo habendum, & colendum predicant. in quo nil, nisi similitudinem diuina potestatis agnoscunt. Res enim ipsa loquitur, & nos suo loco ostendimus, si ob eam similitudinem Christus pro Deo colendus est: omnes homines, qui diuinam potestatem ad quauis mirabilia facienda a Deo acceperunt, pro Diis adorandi erunt; quo nil absurdius dici potest. Iam quod Pauli testimonium adducebatur, quod 1. Cor. 8. quasi ex propria sententia dixerit: Siquidem sunt Dii multi, & Domini multi, uicendum est, Paulum isthic de Diis Gentilium loqui, quos plures esse constat. Nam mox subiungit. Nobis autem (id est Christianis) unus est Deus.

Obiectio.

2

Aiunt prater ea scripturam, cum unum Deum predicat, summum Deum, & independentem intelligere, eodemq; sensu negare plures Deos summos, & ab uno summo Deo non dependentes. Hec illi, que ex dictis facile rursus, & refutari possunt. Scriptura enim cum unum Deum predicat, absolute Deum nominat, nulla facta mentione summi, vel independentis: & quamuis ille unus Deus sit etiam summus, & independentes: tamen in assertione unius Dei scriptura id non respicit, sed solum quod uere Deus sit, & diuino cultu & honore

honore dignus. Sensus igitur scripturae is est: Deum, qui pro Deo habendus, & colendus sit, unum esse. Ac ne forte dicat, nullam in ea assertione cultus mentionem fieri; respondendum est, scripturam omnibus istis locis de Deo respectu nostri agere, prout a nobis colendus, amandus, timendus, audiendus est. Id quod disertis uerbis indicat Christus apud Marcum, cum ait, C. 12. Deus tuus, Deus unus est. quid est Deus tuus, nisi quem tu colere, & reuereri debes? Quocirca cultum ipsius mox adiungit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Ex quo consequitur, cum prater unum Deum, alios omnes Deos rejicit, eos Deos intelligit, qui pro Diis colendi, & cultu diuino afficiendi essent: Tales enim nullos uult esse, solumq; unum Deum pro Deo habendum, & adorandum esse. Id porro uerum est, siue Dii illi credantur subordinati summo Deo, siue non: nullus enim prater unum Deum pro Deo colendus est, secundum scripturas. Et sane si plures Dii essent, non esset absolute uerum, quod ait scriptura, unum Deum esse; & prater eum non esse alium Deum. Et si enim alij Dii minores essent, absolute tamen Dii dicerentur, & sic absolute affirmari non posset, unus tantum, esse Deus, neque plures Dii negari possent existere. Quemadmodum enim si in Ecclesia Dei essent Episcopi plures, inter quos exstaret unus auctoritate maximus, & cui omnes alij essent subordinati; non esset uerum dicere, unum tantum esse Episcopum, & prater unum, alios non esse: ita neq; cum ueritate dici posset, unum Deum esse, & plures non esse, si reuera plures sint, etiamsi auctoritate neutiquam pares. Hinc etiam refellitur illa Aduersariorum distinctio, unum esse Deum independentem, Christum uero esse alium Deum dependentem. Nam scriptura cum unum Deum predicat, omnem alium Deum, qui pro Deo colatur, excludit: hoc enim uult, hoc urget, ne alius prater unum colatur, Deus: praterquam quod manifestam implicat contradictionem, Deum dependentem esse: ut iam demonstratum est.

B 3

Aiunt

Scriptura  
unum Deum  
asserit re-  
spectu cul-  
tus.

Alia ratio.

Obiectio.

3

Aiunt præterea, se nihil unius summi Dei honori detrabere, statuendo Deos illi subordinatos, & ab ipso dependentes. Omnis si quidem illorum honor, in unius summi Dei honorem, cui omnia accepta referenda sunt, redundat.

Responsio.

Contra Dei honorem

agunt Ariani.

1

Dei honor summus est.

2

Alteri non datur.

Locus Isaie 42. expli-

catur.

At non aduertunt homines isti acuti, quantum in ea re contra unius summi Dei honorem agant. Etenim honorem, qui Deo soli debetur, aliis temerè concedunt. Diuinus enim honor non est qualiscunq; honor; sed summus ob summam, & independentem Dei excellentiam, ac potestatem, Deo debitus. Quemadmodum igitur unus est summus Deus, & independens: ita honor, qui in recognitionem illius summæ, & independentis potestatis defertur, illi soli debetur; nec illi esse communis cum aliis potest. Hoc sensu Deus apud Isaia 42. v. 3. dixit. Ego Dominus, seu Iehoua, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Ac si diceret: Cum ego, & solus Iehoua sim, & Dominus, & nomen hoc meum sit aliis incommunicabile, gloriam quoq; meam alteri non dabo; cum gloria diuina dari non possit, nisi communicata incommunicabili deitate. Neq; enim, ut vult Socinus, solum de sculptilibus, & Diis non subordinatis sermo est: sed vniuersè de quocunq; altero, qui non sit ille unus Deus; quòd quemadmodum nomen ipsius Iehoua, seu nomen summi Dei, & independentis, est incommunicabile cuius alteri, qui ab ipso sit diuersus: ita & gloria eius est incommunicabilis. Nulli verò Deus, non solum opposito Deo, sed etiam subordinato, ipsis Aduersariis testibus, nomen suum Iehoua, seu summi Dei nomen communicauit, sed nec communicare potest. Quòd si demus Socino, eo loco solum sculptilia excludi, dicendum erit, omnem alium Deum, qui pro Deo colitur, esse sculptile. Est enim sculptile falsus Deus. Omnis autem Deus, præter illum unum Deum, falsus Deus est, ac proinde est sculptile. Deniq; ex ipsis Dei verbis colligitur, illos omnes excludi eo loco, quibus non potest conuenire summi Dei nomen, nomen Iehoua.

Omnis alius Deus sculptile.

Præterea

Præterea Aduersarij non satis intelligunt, quid sit diuinus honor; & quid sit illum alicui tribuere. Quemadmodum enim Deus est quid summum, quo maius cogitari non potest: ita diuinus honor summus est, & ob supremam diuinam excellentiam, ac potestatem Deo defertur. Cum verò isti Christum neq; summum Deum agnoscant, neque summam in eo, ac independentem potestatem (minorem enim ipsum Deo faciunt) qua tandem ratione diuinum ei honorem attribuendum censent? Certè secum ipsi pugnant, nec quid dicant, penitus intelligunt. Is enim honor infinitè à Dei honore distat: Deus infinitè omnes alias res superat.

Denique diuinus honor in alicuius alterius honorem referri nullo modo potest. Deus enim summus est, & superiorem non agnoscit: quare nec eius honor in superioris alicuius honorem tendere potest. Est q; ita impossibile, Dei honorem in aliquem alium tendere; sicut Deum esse ab altero dependentem.

Aria nos, quòd plures Deos colant, Ethnicis adnumerandos esse.

## CAPVT III.

Arianos Catholici in Ethnicorum numero ponendos eo nomine arbitrantur, quòd Deorum multitudinem inducant: qua uti à Christiana religione alienissima est; ita Ethnicorum est propria. Hoc enim inter cetera ab Ethnicis in Dei cultu distamus, quòd nos unum Deum, illi plures colant. Quòd discrimen adnotauit D. Paulus 1. Cor 8. cum ait. Etsi sunt, qui dicantur Dii, siue in cælo, siue in terra (siquidem sunt Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus est Deus. Verum enim verò Ariani ut se ab Ethnicis in multitudine Deorum adstruenda discernant, hoc discrimen statuunt, quòd Ethnicis plures Deos non subordinatos, neq; ab uno summo Deo dependentes colerent: ipsi vero Christum distinctum quidem Deum prædicant; ita tamen, ut sit uni summo Deo subordinatus.

Deorum multitudo Ethnicorum propria.

Arianorum responsio.

B 3

natus

Refellitur.

1

natus, ab eoq; dependens. At parum Arianos iuuat hoc discrimen. Primum, Scriptura multitudine Deorum refellenda, non id precipue urget, quod non sint subordinati: sed absolute quod multi, & ab illo uno (qui solus Deus verus est) distincti, & unitatem Dei, multitudini Deorum gentilium opponit: eoq; nomine falsos esse illorum Deos ostendit; quod sint ab illo uno Deo vera diuersi, prater quem non est alius Deus; ut ex omnibus iis scripturis, quas pro unitate Dei adduximus, liquido constat. Deinde Ariani, & si Deos subordinatos faciunt: nequiquam tamen sunt Ethnicis meliores, sed potius deteriores. Nam Ethnicis minus in eo errant, quod ita plures Deos statuunt, ut omnes summos, & non subordinatos: id enim ex propria Dei ratione sequitur, nihilq; a Dei maiestate ita alienum est, quam subijci, & ex alterius voluntate, aut potestate pendere. Qualis enim Deus est, qui ex se nihil possit, & ex alterius nutu, ac arbitrio omnia agat: ut enim hoc seruile est, ita illud diuinum, omnibus dominari, & summa auctoritate preesse. Quare multo conuenientius rationi est, plures Deos non subordinatos statuere, quod Ethnicis faciunt, quam subordinatos, quod faciunt Ariani: ita ut eo nomine non ab Ethnicorum numero eximendi, sed Ethnicis deteriores, & absurdiores existimandi sint.

Ariani ex se impotentem statuunt.

Socini exceptio.

Socinus ait. Ethnicorum errorem non in eo fuisse, quod non unum tantum Deum colerent: sed in eo precipue, quod curam rerum humanarum in plures distribuerent, qui nequaquam ab uno solo Deo penderet, a quo videlicet curam istam sibi demandatam habuissent, cuiq; essent subordinati. Ceterum dubitari non potest, Ethnicos in eo errore fuisse, tum quod plures, tum quod falsos Deos admitteret; & utrumq; scriptura in iis reprehendit. Primum quidem, cum asserit non esse alium Deum prater unum, nec alium illi similem, & omnes alios Deos, ab illo uno distinctos damnat, eo nomine quod non sit Deus, nisi unus. alterum vero, cum eos accusat, quod seruirent potius creaturae, quam Creatori.

Error gentium in multitudi- ne Deorum.

Rom,

Rom 1. v. 25. quod nomen incommunicabile lignis, & lapidibus attribuerint. Sap. 14. v. 2) quod eorum simulacra sint argentum, & aurum, opera manuum hominum. Psal. 113. & similia. Nullo autem modo vel leuiter insinuat aliquos alios Deos esse posse, qui sint subordinati uni Deo, sed absolute affirmat, non posse esse alium Deum prater unum. hoc, v. g. sibi volunt illi modi loquendi, no est Deus nisi unus, non est alius prater me, extra me mihi similis, ante me non formatus, nec post me erit. Neq; vero Deus se aliquibus tantum Diis opponit, sed omnibus omnino, qui sunt, & esse possunt: par enim est omnium, eademq; ratio. Porro cum dixit Socinus, Gentiles in eo errasse, quod plures Deos non subordinatos colerent, minimè id illi concedendum est. Et si enim in eo errarunt, quod plures, ac ex consequenti, falsos Deos coluerunt: non enim potest esse verus Deus, nisi unus: tamen quod eos, quos Deos esse putauerunt, non subordinatos esse voluerunt, minimè errarunt, sed sapienter concluderunt. Posito enim, quod aliquis Deus censeretur, summa illi ac independens potestas attribuenda est. Quemadmodum si quis falso aliquem Regem credat, in eo quidem errat, quod eum Regem credat, qui talis non est. non vero quod ei, quem Regem credit, summam quoq; in Regno auctoritatem attribuat; cum hoc ex ipsa Regis ratione sequatur, ut nemini subsit, sed præsint omnibus. Quod si quis Regem eum volet, qui totus ab altero pendeat, alteriusq; potestati subsit; in ipso Regis nomine errat, nec quid sit Regem esse, intelligit: cum absque summa in Regno auctoritate Rex nullo modo censeretur possit. Quamq; cum dicunt, Gentiles falsos Deos coluisse: ne ipsi quidem sunt ab ea nota liberi. Quicumq; enim prater unum Deum colitur, est falsus Deus, cum non possit esse verus Deus, ab illo uno Deo distinctus. Cum igitur Christum colant Ariani, tanquam distinctum Deum ab illo uno Deo, consequens est, illos falsum Deum colere. Quare quamuis illum Christum Deo subordinatum faciunt, eo tamen ipso falsum Deum faciunt, cum quia Deus subordinatus est falsus

Deum esse summum &amp; independentem necesse est.

Ariani falsum Deum colunt.

est falsus Deus; cum subordinatio, & dependentia in Deum verum non cadat; tum quia quicumque est ab illo uno Deo distinctus, eo ipso est falsus Deus. Non igitur errarunt in eo Gentiles, quod summos Deos statuerent, uti omnis ratio suadet: sed errant Ariani, tum quod Ethnicis erroris notam temerè impingunt, tum quod contra omnem rationem Deum subordinatum, & dependentem faciunt.

Calumnia  
Socini.  
Sancti pro  
Diis habeantur.

Tandem Socinus telum nostrum in nos retorquere coatur, aitque impudentissimè nos in adstruenda Deorum multitudine, maxime imitari Gentes, cum innumeros Deos, sanctos videlicet colamus. At hæc est impudens calumnia. Quomodo enim verisimile est, nos sanctos ut Deos colere, qui eos Deos esse non agnoscimus: imo disertissimè negamus; & omnibus his Anathema dicimus, qui sanctos pro Diis habendos, & colendos putat. Potestatem illorum diuinam esse non dicimus; sed diuina infinitè inferiorem: quod potestatem quamuis creatam, necesse sit diuina infinitè minorem esse. Cultum verò etsi illis exhibeamus, Dei dona in illis, & potestatem venerantes: istamen cultus diuinus non est, sed à diuino infinitè distans; & qui rei creatæ modum, & conditionem non excedit. Quemadmodum enim Deus ob recognitionem summæ suæ, & independentis potestatis à nobis ut Deus colitur: ita sancti ob eam potestatem quæ à Deo præditi sunt; quæ quanto minor est potestate diuina (minor autem est infinitè) tanto minor est is cultus, quem ipsis eo nomine deferimus. Nam quod aiunt non verbis quidem; sed re ipsa diuinum illis cultum impendi, id longè falsissimum est. Quod enim eiusmodi est, quod à nobis præstatum sanctis, quodque diuini cultus sit argumentum? An inuocatio? At non inuocantur ut Dii, & supremi bonorum nostrorum authores; at ut impetratores, & ad unum summum Deum intercessores; neque ut tales, qui ex semetipsis, & natura sua cordium nostrorum secreta cognoscant, (quod Dei solius est) sed qui ex Dei dono, & reuelatione, nostras necessitates percipiant, & preces intelligant: quod etiam in hac mortali vita nonnullis

Sanctorum  
inuocatio  
qualis.

nullis à Deo communicatum Sacra litera testantur. Certè hic inuocationis modus potius, illos Deos non esse, concludit, cum Dei non sit impetrare, sed dare; non alterius gratia inniti, sed autoritate propria facere omnia. An potestas? At inuocando sanctos, non tribuimus illis potestatem aliquam, quam ex seipsis habeant; sed quæ vel impetrare aliqua nobis à Deo possint, (idque per Christi merita.) vel aliqua etiam per se præstare pro modulo, & mensura gratiæ sibi à Deo communicatæ. Porro potestas eiusmodi non diuinitatis, sed subiectionis est argumentum. Dei enim potestate facere aliquid, non est Deum esse, sed Deo subijci, & ab eo dependere. Promissa verò est ea potestas sanctis (ut alia taceam) Apocal. 2. V. 26. Qui vicerit, & custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & accepi à Patre meo. Ex quo loco perspicuè apparet, Christum potestatem suam Regiam, quam accepit à Patre, regendi gentes in virga ferrea, & inflexibili, & quæ omnia perfringere, & peruincere possit, cum sanctis communicasse. An Altarium, & templorum erectio? At ea uni summo Deo, cui soli sacrificium debetur, in recognitionem summæ illius, ac diuinæ potestatis, eriguntur. Sanctorum verò nomina templis, & altaribus præfiguntur; non ut illis sacrificium offeratur, qui est præcipuus templi, & altarium finis; sed ut in iis locis, & à nobis honore conuenienti colantur, & ipsorum memoria inibi celebretur; ipsi verò nostri sint patroni, & precum nostrarum, quas in iis locis ad Deum effuderimus, promotores. Quod ab eo cultu, qui Deo soli debetur, plurimum distat: Neque aliud quidem proferri potest eiusmodi, quo diuinitatem aliquam sanctis à nobis attribui doceatur.

Sanctorum  
potestas.

Altaria &  
Templa.

Quatuor Arianorum Argumenta, quibus Duos distinctos Deos probare conantur,

C

CA:

**A**fferunt Ariani sui erroris rationes, & Christum esse distinctum à Patre Deum confirmant aliquot argumentis. Primum illud est, Scriptura præter Deum Patrem ostendit, Christum eius filium etiam esse Deum; erunt igitur duo Dii. Hoc argumentum infirmisimum est: ex eoq; nil aliud sequitur; nisi tam Patrem quam Filium Deum esse, eo quòd utrumq; scriptura dicat Deum. Non solum autem ex eo non sequitur, esse duos Deos; sed potius sequitur oppositum, nempe duos esse unum Deum: idq; propter duo. Primum, quia tota scriptura non agnoscit, nisi unum Deum; & omnino prohibet, ac detestatur plures Deos; cum ergo duos ostendit, quibus Dei nomen tribuendum sit, eo ipso, vult illos esse unum Deum. Quare aut Christus non erit verus Deus, aut erit unus cum Patre Deus. Deinde Deus verus non est, nisi unus. Ergo cum scriptura tam Patrem, quam filium, ait, esse verum Deum, sequitur utrumq; esse unum Deum.

Alterum Argumentum est, quod præcipue urget Moscorouius Minister Arianus: Pater est natura Deus, Filius non est natura Deus; sed dono & gratia Patris; est igitur distinctus à Patre Deus. Probat autem Christo à Patre donatam diuinitatem, tum ex eo, quòd Deus donauit illi nomen, quòd est super omne nomen, hoc est, nomen Dei: ut in eius nomine omne genu flectatur, Phil. 2 tum ex eo, quòd Christo omnis potestas in cælo, & in terra data sit à Patre. Matth. 28. V. 18 præcipue verò illa potestas amplissima iudicandi omnes homines. Ioann. 5. V. 22. Pater omne iudicium dedit Filio. Neq; enim ista omnia habere potest nisi Deus, maxime cum eo sine hac omnia acceperit, ut pro Deo colatur, & omne genu illi flectatur.

Respondeo. Ne unum quidem scriptura locum afferri à Moscorouio potuisse, in quo dicatur donata Christo diuinitas. Nam quòd

Contrariū  
sequitur ex  
Socini ar-  
gumento.

ad locum ad Philippenses attinet, dicitur quidem donatum Christi nomen super omne nomen ( hoc est Dei nomen, quòd solum est super omne nomen ) at quomodo donatum est, num hoc nomen Christus ante non habuit? at ibidem Paulus ait: Cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo quomodo Dei nomen non habuit, qui iam erat in forma Dei æqualis Deo? Donauit ergo illi nomen super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flecteretur, & ei omnis lingua confiteretur. ( Sic enim ipse exponit ) quòd nihil aliud est, quam donatam esse Christo gloriam, & adorationem nominis in toto mundo, seu, ut hoc nomen super omne nomen, quòd in se fuit semper super omne nomen, fieret & in mundo super omne nomen. Deus enim potentia sua effecit, ut gloria diuina Christo tanquam vero Deo debita, re ipsa in uniuerso mundo præstaretur, idq; ad compensandam illam humilitatem, quam in forma serui diuina gloria, & salutis humane causa susceperat. Ad quem etiam modum exaltatio Christi, de qua ibidem dicit Apostolus, intelligenda est: erat enim ante hanc exaltationem Christus altissimus in seipso, utpote in forma Dei æqualis Deo: at in mundo hanc exaltationem consecutus est; cum illi omne genu flecti cœpit, Cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteri: sed de hoc loco ad Phil. infra plura dicenda erunt.

Iam quòd ad potestatem Christo donatam attinet, non negamus Christo, quatenus homo est, multiplicem potestatem à Deo donatam esse. de ea enim illud intelligitur, Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Eam enim potestatem promeruit sibi Christus passione sua, & morte: secundum illud, quòd habetur in Apocalipsi: Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem. Verum hac potestate diuinitas Christi non continetur, neq; propter eam potestatem Christus dicitur Deus, neq; diuino cultu coli potest, alioqui oporteret innumeros Deos colere, quot quot diuina potestate sunt præditi, ut suo loco ostendetur. Neq; enim si Rex tribuat alicui

Donatum  
Christo no-  
men super  
omne no-  
men.

Potestas  
Christi mi-  
nisterialis.

genera-

generalem potestatem in regno suo gubernandi, & iudicandi, eo ipso illum regem constituit. est enim ea potestas Pro regis propria, seu vicarij generalis; Ita si Deus diuinam suam potestatem communicauit Christo ad hominum, & Angelorum gubernationem, non idcirco fecit illum Deum, cum Dei sit gubernare propria, & independenti potestate, hominis aut sit Dei nomine, & Dei potestate gubernare. Quocirca Paulus Christum, quia homo est, non dubitat Ministrum Sanctorum, seu Sanctuarj illius caelestis appellare: quia Dei respectu, & quatenus homo est, ministerium habet, Dei vero suprema, & independens est potestas. Est porro alia potestas in Christo diuina, quam eandem cum Patre habet, secundum quam aequalis est Patri, & quaecumq; Pater facit, haec & Filius similiter facit. Ioan. 5. qua potestate mundus per Christum factus est. Ioann. 1. Verum haec potestas non est donata Christo, sed innata; seu per aeternam generationem ei communicata, ut vero Dei Filio.

Potestas  
Christi di-  
uina.

Potestas  
Christi iu-  
diciaria du-  
plex.

Iam quod ad Iudiciariam Christi potestatem spectat: ea in Christo duplex est, altera diuina, ut Deus, & absolutus omnium Dominus, altera, qua iudicat, ut homo, ex Dei scilicet commissione, & voluntate; De priori habetur, Ioan. 5. V. 22. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant, & Patrem. Si enim propter eam iudicandi potestatem pari honore afficiendus est Filius, ut Pater; par etiam erit in utroq; iudicandi potestas, maxime cum ibidem dictum sit: Quaecumq; Pater facit, haec & Filius similiter facit. Neq; enim cum dicitur, Pater non iudicat quenquam, intelligitur omnino non iudicare, sed non nisi per Filium iudicare. Quod vero additur, potestatem ei dedit, iudicium facere, quia filius hominis est, non ita accipiendum est, ut Christus solum, quia homo est, iudicet; iudicat enim pari cum Patre potestate, & habet vitam in semetipso aequè ut Pater, ad quoscumq; voluerit viuificandos. Sed sensus est, ideo Christo commissum esse à Patre iudicium; quod sit non solum Deus,

Deus, sed etiam homo. Sic enim personam iudicis apud homines conuenientissimè sustinere potest, eos aspectabili, & hominibus conuenienti ratione iudicando. De posteriori autem potestate accipiendum est, quod dicitur Christus constitutus à Deo iudex uiuorum, & mortuorum. Actor. 10. V. 42. & C. 17. V. 31. Statuit eum, in quo iudicaturus est orbem terræ, in viro in quo statuit: ita ut Christus utraq; potestate, & quia Deus est, & quia homo mundum sit iudicaturus. Quocirca sicut ob priorem potestatem Christus Deus dicendus est; ita propter illam aliam potestatem Deus nequaquam dici potest; & illa quidem prior donata non est, sed innata Christo; haec verò donata quidem est à Deo, sed eius consideratione Christus Deus non dicitur, neq; diuino cultu ob eam afficiendus est. Quod si instet Moscorouius, nullam in Christo potestatem esse, quae data non sit: fateor. nam & diuina potestas data est Christo, sed naturaliter per aeternam generationem, sicut & quiuus filius cum natura accipit à Patre omnem potestatem natura suae conuenientem. Altera verò potestas data est Christo, sed per liberalem donationem.

Diuina po-  
testas data  
naturaliter  
non dona-  
ta gratuita.

Tertium Argumentum, quod Socinus urget, sumitur ex 1. Cor. 8. V. 6. Nobis unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum. unus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. Quo loco distinguit Paulus unum Dominum ab uno Deo: nam uni Deo tribuit, ex quo omnia, uni verò Domino tribuit, per què omnia: quibus rebus indicatur Deus Pater, esse praecipua causa nostrae felicitatis; Christus verò esse solum instrumentalis causa. Nomine verò unius Domini intelligit eum, qui diuina ratione sit Dominus: opponit enim unum Deum, & Dominum, Diis gentium, & idolis.

Hoc Argumentum, totam & Socini de duobus Diis distinctis opinionem penitus euertit. Clarissima enim est mens S. Pauli, omnem Deorum, & Dominorum multitudinem reijcere, & unum Deum, ac Dominum ostendere. Idcirco mox ab initio quasi pro

Multitudi-  
nem Deo-  
rum reijcit  
Paulus.



1 fundamento posuit: Scimus, quod idolum nihil est in mundo; & quod nullus est Deus, nisi unus. Quomodo igitur ex tali fundamento duos Deos statueret? Deinde plures Deos gentilibus tribuit. Nobis autem dicit unum esse Deum. Et si sunt, inquit, qui dicantur 2 *Dij in caelo, & in terra.* (Si quidem sunt *Dij multi, & Domini multi*) nobis autem unus est Deus, unus Dominus. Quis igitur credat Paulum nobis plures Deos statueret? Accedit, quod unus, & idem 3 Deus est, ex quo omnia, & per quem omnia. Rom. II. V. 36. Cum igitur uni Deo tribuit, ex quo omnia, uni Domino, per quem omnia: non duos Deos inducit, sed unum. Quod autem Patri tribuat, unus Deus, Christo vero, unus Dominus, non ea ratio est, quod aliud sit esse Deum, aliud esse Dominum. Nam & cum de Diis Gentilium dixerat: Si quidem sunt *Dij multi, & Domini multi*; non alios voluit esse Deos, alios Dominos: sed eos, qui *Dij sunt, Dominos quoque esse, & qui Domini sunt, esse Deos*: sunt enim eo modo Domini, quo Deus est Dominus. Est ergo alia discriminis ratio. Nam Deus per Christum spectabili ratione nobis dominatur, & per eum nos gubernat. Idcirco Christo, Domini nomen, Patri vero Dei attribuit. Denique, contra Socinum maxime facit, quod Paulus ait, nobis autem 4 unus Deus. Si enim Christus est alter Deus: verè nobis non est unus Deus: aut dicendum erit Christum esse unum cum Patre Deum. Simili ratione, cum ait, unus Dominus: aut Pater non erit Dominus; aut erit unus cum Christo Dominus. alioqui si erunt duo Domini, verum non erit, esse unum Dominum.

5 Chimera verò sunt, & additamenta Socini, cum vult intelligi nomine unius Dei summum Deum, nomine verò Domini, subordinatum Dominum. Sic verò inquit ille, erit unus Deus, & unus Dominus. Quasi verò Paulus non loquitur de Deo, & Domino absolute, cui veri Dei, & Domini nomen conveniat? Ita enim ab initio proposuit hanc questionem Dei nomine, prout idolo opponitur accepto: scimus, inquit, quia idolum nihil est in mundo, & quod nullus

Patri, nomen Dei, Christo nomen Domini tribuitur à Paulo

Socini error.

Refellitur.

nullus est Deus, nisi unus: & hac Dei absoluta acceptio facit ad rem Apostoli, cuius mens est ostendere, qui idolis opponuntur, non esse plures Deos, sed unum. Si ergo Christus, sicut & Pater, est Deus idolis oppositus; sequitur, quod sit unus cum Patre Deus. Nam quod ait Socinus, illas particulas, ex quo, & per quem, causam principalem, & instrumentalem denotare, falsum est: si quidem eodem Deo tribuitur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, ut tot modis loquendi explicetur, à Deo omnibus modis esse omnia. Accedit quod cum Paulus de Patre dicit, ex quo omnia; de Christo, per quem omnia, eadem omnia utroque intelligit. At, quae omnia ex Patre sint, nemo non videt, nempe omnia, quae creata sunt, & quae quocumque modo sunt; haec ergo omnia per Christum quoque sunt, non ut homo est, sic enim ante rerum omnium creationem non extitit, sed ut Deus, & verbum Patris, per quod facta sunt omnia: non igitur, ut per instrumentum, sed ut per verbum existens apud Deum, quod verbum non erat nisi Deus.

Pater, non denotat causam naturalem.

Quartum Argumentum sumitur ex Capite 5. Apoc. V. 5. ubi diuinus honor sedenti in Throno, & Agno tribuitur. Proculdubio autem agnus à Sedente in Throno distinguitur, & ut distinctus diuino honore afficitur.

Respondeo Si idem diuinus honor sedenti in Throno, & Agno offertur, necesse est eandem esse utriusque diuinitatem. Nam quem admodum sedenti in Throno propter diuinam eius essentiam honor diuinus exhibetur, ita & Agno. Quorum enim est idem honor, eadem quoque erit & honoris ratio. Tantum igitur abest, ut ex hoc loco distinctus Deus probetur, ut etiam inferre oporteat utrumque esse unum Deum. Distinguitur porro eo in loco agnus à sedente in Throno, non honore & diuinitate, sed natura humana, ratione cuius vocatur agnus.

Christo idem cum Patre honor offertur.

Hec sunt Arianorum firmamenta, ita infirma & futilia, ut mirum sit, homines ad tanta absurda affirmantia talibus ratiunculis adduci potuisse.

Ex

Ex illis Christi verbis: Ego & Pater unum sumus. Unitas  
essentiae, & divinitas probatur.

## CAPVT. V.

Christus si  
Deus est, un-  
us est cum  
Patre Deus.

**E**T si non satis, superq; sit ad probandum, Christum esse unum Deum  
cum Patre, ostendere scripturas, quae unum Deum asserunt, & nullum  
aliu, praeter unum. Ex eo enim evidentissimè sequitur, Christum aut  
Deum non esse; aut esse unum cum Patre Deum; neq; huius argumenti  
vim Ariani evadere aut possunt, aut unquam poterunt: tamen placet  
eius veritatis testimonium ex ipsius Christi ore audire ac intelligere.  
Nam Joan. 10. ita disertè se esse unum cum Patre affirmavit; Ut & Iudaei  
de unitate naturae id eum dixisse intellexerint, ac capropter illam tanquã,  
blasphemum lapidare voluerint; & Christus ipse, & si id incredibile Iu-  
dæis videretur, perstitit in sua sententia, & non semel confirmavit ita esse  
sentiendum: Uti tunc ex verbis Christi intellexerant Iudaei. Ita verò  
ait: Pater, qui mihi dedit (oves) maior omnibus est, & nemo potest rapere  
eas de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus.

Respondent Ariani. Ea verba de unitate concordiae, & voluntatis,  
non de unitate naturae exponenda esse. Eo quod aliàs hanc suam unita-  
tem cum Patre ad hunc modum exposuerit. Ioan. 17. v. 11. & 22. cum ora-  
ret pro Apostolis, ut essent unum, quemadmodum, inquit, & nos unum sumus.

Nos porro, & si non negamus inter Christum, & Patrem esse unitatem  
concordiae, & voluntatis, quam Ioan. ca. 17. commemoravit Christus, tamen  
negamus de ea unitate hoc loco Christi verba, vlllo modo accipi posse, eo ar-  
gumento. Quod si Christi verba de unitate voluntatis exponantur, Christi  
argumentatio nil concludet. Si verò de unitate potentiae, & naturae conclu-  
dit efficacissimè. Id enim quod Christus probare vult, est, tantam esse su-  
am potentiam in ovibus suis defendendis, ut nemo sit, qui eas possit de mani-  
bus eius rapere. Cur ita? quia nemo potest eas rapere de manibus Pa-  
tris: siquidem maior omnibus est. Porro potentia Patris, qua ratione  
ad Christum pertinet? Ego, inquit, & Pater unum sumus. Ac si diceret:  
Qui unum sumus natura, quid mirum si potentia unum sumus? Aio igitur  
hanc rationem non concludere, Si de unitate, seu concordia voluntatis acci-  
pantur Christi verba; probare verò plurimum, si de unitate potentiae, & na-  
turae intelligantur. Ex concordia enim voluntatis non potest inferri Christi  
potentia, sed Patris: ex eo enim quod Pater ad nutum Christi paratus est  
protegere

protegere oves illius; non sequitur, Christum habere similem potentiam  
ad oves suas protegendas. nemo siquidem ex eo, quod protegitur ab aliquo,  
acquirat intrinsecam aliquam potentiam; sed solum extrinsecum auxi-  
lium. Imò ex eo, quod alieno auxilio, & protectione indiget; sequitur, i-  
psam propriam potentiam vel nullam habere, vel certè exiguam, infir-  
mam, & insufficientem. Ex concordia igitur voluntatis cum Patre non  
posset inferre Christus suam propriam, & sufficientem potestatem, quam  
habet ad suas oves defendendas: neque sequeretur, si Pater potest prote-  
gere oves Christi, ipsum quoq; Christum, idem sua potentia posse, etiamsi  
ad nutum Christi ob concordiam, & unitatem voluntatis, semper esset pa-  
ratus eas defendere: atq; ita tota concideret, & esset infirma Christi ar-  
gumentatio. Neque enim dubium esse potest, Christum hoc loco probare  
suam potentiam, ad oves suas defendendas, non quamcunq;, neq; solum  
extrinsecam ex auxilio Patris profectam; sed intrinsecam, & propriam,  
sibiq; inherentem, eamq; tantam, quantum habet ipse Pater. Nam &  
Ioan. 17. v. 12. non Patris auxilio, sed suae propriae potestati tribuit: quod  
oves suas nemo rapuerit de manu sua. Quos, inquit, dedisti mihi, cu-  
stodiu, & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis. Scilicet à Patre ac-  
cepit oves in suam curam, & custodiam: ut eas propria potestate custodiret;  
& propter hanc custodiam nulla perit. Apud Ioan. cap. 5. probat Christus se  
patrem, imò eandem cum Patre habere potestatem. Quaecunq; enim Pa-  
ter facit, hæc & Filius similiter facit. Et sicut Pater vitam in se-  
metipso; sic & Filio dedit vitam habere in semetipso. Deniq; in hoc ipso  
capite, v. 28. sequitur de ovibus suis. Ego vitam aeternam do eis, & non  
peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisq; de manu mea. Ea igitur  
potestate, qua dat ovibus suis vitam aeternam, facit ut non pereant in a-  
eternum, & non rapiat eas quisq; de manu eius. Procul autem omni dubio  
Christus propria, & intrinseca virtute dat ovibus suis vitam aeternam:  
quam ob causam, Ioan. 5. dicitur vitam habere in semetipso, imò dicitur,  
ipsa vita, & vita aeterna. Ioan. 1. v. 2. Quaquam Aduersarii ipsi fa-  
tentur, Christum habuisse potestatem permanentem, in eoq; distingui ab  
aliis hominibus putant; quod alii potestatem semper in ipsis manentem  
non habuerint. Manifestum igitur est, ex concordia voluntatis inferri  
solum auxilium Patris, non verò propriam Christi potestatem ad oves defen-  
dendas.

Quod si obijciant Ariani habere quidem Christum propriam potesta-  
tem; sed acceptam à Patre, ex eaq; participatione potestatis bene probari  
Christum

Ex unitate  
voluntatis  
non infer-  
tur una po-  
testas

Christi po-  
testas intrin-  
seca.

**Christus non ex participatione potestatis probat suam potentiam.** Christum habere tantam potestatem, ut nemo possit oues rapere de manu eius, sicut neq; de manibus Patris. Respondeo. Habere quidem Christum omnem suam potestatem à Patre; at non ex participatione potestatis, sed ex unitate cum Patre. probare Christum hoc loco suæ potestatis magnitudinem. Neq; enim Christus ait. Ego accepi à Patre potestatem, ideo nemo de manu mea potest rapere oues meas: sed quia unum sum cum Patre, qui est maior omnibus, id est, omnium potentissimus: quare sicut de manibus eius nemo potest rapere oues meas, ita neque de manibus meis.

**Christus non potest esse unius cum Patre potentia nisi sit unius essentia.** Ait Socinus, posse Christi verba de unitate potentia, non de unitate natura exponi. Verum Christus non ait, unum possumus, neq; unum sumus potentia; sed absolutè unum sumus, nempe non in hac, vel illa re particulari; sed omnino, & uniuersè. Idq; ad propositum Christi plurimum faciebat. Ut enim ostenderet se idem posse, quod Pater, dixit se esse idem, quod Pater. Consequens enim est, ut qui sunt eiusdem essentia, sint quoq; eiusdem potentia. Deinde non potest dici Christus unius, & eiusdem potentia cum Patre, nisi sit unius, & eiusdem essentia. Nullo enim modo natura creata potest esse unius potentia cum Deo: Dei enim potestas est infinitè maior quauis potentia creata, & longè diuersæ rationis: que autem diuersarum sunt rationum, & infinitè à se distant, quomodo unum dici possunt? Dei enim potentia est ex se infinita, independens, & talis, à qua essentialitè omnes effectus dependeant: rei verò creata potentia & finita est, & dependens, & per se, ac necessario effectus ab illa non dependet; cum absq; illa fieri à Deo possit; que omnia diuersas hasce potentias, non unam arguunt. Quocirca & Christus, nisi sit eiusdem essentia cum Patre, non potest dici unius cum Patre potentia.

**Dei potestas incomunicabilis creaturæ.** At inquit: Deus suam potentiam rebus creatis communicare potest. Respondeo. Deum suam potestatem, quæ diuina est, & eo modo, quo ipsi Deo conuenit, communicare rei creatæ nullo modo posse. Potestas enim diuina est independens, & talis, à qua effectus per se, & necessario pendet, ita ut absque illius influxu consistere non possit, & dicitur, potestas prima cause. At nulla potestas rei creatæ est independens, tam in essendo, quam in agendo. neq; ab ea ullus effectus ita dependet, ut absq; ea fieri non possit. Potest enim omnis effectus à Deo fieri absq; interuentu aliarum causarum. Quocirca necesse est omnem potestatem rei creatæ à potestate diuina esse longè diuersam, imo infinitè ab ea distantem, illamq; communicationem, & similitudinem diuina potestatis, quam videmus in rebus creatis esse, necesse est, valde imperfectam esse, & in immensum à diuina perfectione distare.

**Res creata non potest dici unius cum Deo potentia.** distare. Deinde quantumvis Deus suam potentiam rebus creatis communicet, non possunt res creatæ ob eam communicationem dici unum cum Deo, neq; unius potentia. Quis enim hominum, aut Angelorum propter potestatem diuinam sibi communicatam dixit, aut dicere potuit: Ego & Deus unum sumus, unius, & eiusdem potentia; semper enim potestas quævis creata infinitè distat à diuina potestate; quæ verò infinitè distant ab invicem, unum dici non possunt; siquidem ea distantia est non locorum, sed essentialium. Alioquin concedere oporteret, res omnes creatas esse unum cum Deo, quæ nulla sit res creata, cui suam potentiam Deus aliqua ratione non communicauerit. Potest quidem res creata dici unum cum Deo spiritu, & charitate; Ioan. 17. 1. Cor. 6. v. 17. at non potest dici unum potestate. Nam esse unum Charitate non dicit communem aliquam perfectionem in utroq; sed tantum communem voluntatis affectum. At esse unum potentia, dicit communem potentia perfectionem, seu communem cum Deo potentiam, quod in rem creatam conuenire nequaquam potest.

Ait Socinus, Christum non absolutè esse unius potentia cum Deo, sed secundū quid, nempe in defendendis ouibus, idq; solum hoc loco asserti à Christo: sed egregiè hallucinatur. Nam Christus suam potentiam ad oues defendendas, ex absoluta sua cum Patre unitate deducit. Quia enim unum sum, inquit, cum Patre, ideo idem possum, quod Pater. Nam, quod obiicit hanc unitatem esse, ad subiectam materiam; agitur enim hic de protegendis ouibus Christi: id etiamsi Socino concedatur, nihil impedit; non enim est extra subiectam materiam, rem, de qua agitur, ex uniuersali principio deducere: imo id semper necessarium esse, Logici docent, ut particularis conclusio ex aliquo principio uniuersali, (quod latius, quam ipsa conclusio pateat) inferatur. Deinde si Christus in defendendis ouibus est eiusdem potentia cum Patre, absolutè & uniuersè, erit eiusdem potentia. Neq; enim Pater aliam habet potentiam ad oues Christi protegendas, aliam ad alia, sed una, eademq; potentia omnia potest. Quare si potentia Patris ad oues Christi defendendas, est eadem cum Christi potestate, tota quoq; potentia Patris erit eadem cum Christi potentia. Adhuc, cum duobus modis possit dici, una Christi, & Patris potentia; vel propter unam essentiam utriusq;, vel quod una sit alterius participatio: priori modo si dicatur una, erit simpliciter, non secundum quid una; posterior verò modus non satis est, ut Christus cum Patre sit unum, quod omnes res create simili ratione unum cum Deo dici possent, uti paulò antè inferendam. Et verò si Christi potentia statuatur creata, & infinitè inferior

**Potentia** potentia Patris, quomodo dici poterit una? quae enim infinitè sunt inaequalia  
**creata non** qui unū dici possunt? ex eo enim quòd inaequalia sūt, diuersa sunt, non unū  
**est una cum** At urgent Ariani: locum illum illo alio Ioan. 17. v. 22. loco, aiunt q̄  
**potentia di** satis explicaturum esse unitatem Christi cum Patre, cum de Apostolis Chri-  
**uina.** stus ait: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Quomodo modum igitur  
**Exponitur** Apostoli non erant unum essentia, sed charitate: ita neq; Patris, & Christi  
**locus Ioan.** est una essentia. Respondeo primum, cum non una sit Christi cum Pa-  
**13** tre unitas, sed multiplex, nihil impedit, ut in diuersis scriptura locis, non  
**De unitate** de eadem unitate agatur. Id quòd ex propriis cuiuslibet loci circum-  
**Charitatis.** stant iis considerandum est. Quare & si Ioan. 17. non de essentia unitatis  
**De unitate** sermo est, quòd id circumstantie illius loci non exigant; Sensus enim est,  
**sententia.** ut Apostoli sint unum charitate, sicut & nos unum: hoc tamen loco non de  
 alia quàm essentia unitate Christi verba omnino accipienda esse, ex ipsa  
 Christi argumentatione perspicuum est. Quanquam nihil prohibet etiam de uni-  
 tate spiritus, & charitatis illa Christi apud Io. c. 17. verba accipiamus, essentia  
 quòq; unitatē intelligere. Optabat sanè Christus, ut Apostoli ita essent unum  
 spiritu, & charitate, ut quàm maximè ad illa Spiritus, & charitatis unita-  
 tem, quā ipse cum Patre est unum, accederet. Porro ipse cum Patre ita est u-  
 nū, ut sit vnus spiritus, vna charitas, vna voluntas, non concordia solum, sed  
 natura, atq; essentia. Ad hanc igitur unitatem, ut quàm maximè accederet,  
 Apostoli imitatione cupiebat: licet omnem eius perfectionem assequi non  
 possent. Nam & cum alio in loco Christus ait: Estote perfecti, sicut &  
 Pater vester perfectus est: non ad aequalitatem perfectionis; sed ad simili-  
 tudinem, & imitationem adhortatur. Neq; enim res creata diuinam per-  
 fectionem aquare omnino potest.

Magis expenduntur ea Christi verba: Ego &  
 Pater vnus sumus.

## CAPVT. VI.

**N**on posse illa Christi verba: Ego & Pater vnus sumus, de unitate  
 concordiae exponi, satis iam ostendimus. Porro de unitate natura  
 accipienda esse, modò probandum est. Prima igitur probatio sit,  
 quòd aliter Christi ratio, & argumentatio constare non posset, ut iam de-  
 ductum est. Altera quia Iudaei hoc sensu verba Christi intellexerunt: quo-  
 rum sententiam Christus cum non damnauerit, neq; correxerit, eo ipso  
 comprobauit. Porro eo sensu Iudaeos verba Christi intellexisse patet, tum  
 ex eo, quòd statim iis auditis sustulerunt lapides, ut iacerent in eum,  
 neq;

neq; enim lapidare voluissent eo solo nomine, quòd se dixisset vnus cum Iudaei ver-  
 Patre concordia voluntatis: tum quòd illis verbis blasphemiam contineri ba Christi  
 intellexerunt, & non quancumq; sed summam, quòd homo cum esset, se ni de unitate  
 bilominus faceret Deum. De bono opere, inquit, non lapidamus te, nature in-  
 sed de blasphemia, & quia homo cum sis, facis te ipsum Deum. Quae verò tellexerunt  
 blasphemia esset, si illum dixisse intellexissent, se esse vnus cum Patre con-  
 cordia, & consensione voluntatis? hanc enim cum Deo unitatem omnibus  
 querendam esse, illi ipsi Iudaei proculdubio senserunt, neq; homines dici  
 Deos posse participatione diuina potestatis ignorabant; neq; id blasphe-  
 mum esse arbitrabantur: at hominem esse natura Deum; id verò censebant  
 blasphemum, quòd cum in illis Christi verbis contineri animaduertent,  
 Christum blasphemiae arguebant. Non igitur dubium est, Iudaeos Christi  
 verba de unitate natura intellexisse. Deniq; intelligebant, istis verbis Chri-  
 stum se Deū facere. Qui enim se dicit, vnus cum Deo, non concordia volun-  
 tatis, sed natura, Deum seipsum facit. Iam si ea Iudaeorum sententia  
 falsa fuisset, correctā proculdubio à Christo fuisset; ne iustam erroris cau-  
 sam in re grauissima Iudaeis dedisse videretur; quòd & alias in similibus  
 errorum occasionibus ab Euangelistis animaduersum videmus. Quòd cum  
 non fecerit, nihil proculdubio correctione dignum in ea animaduertit.

Ait Socinius, Christum Iudaeorum sententiam correxisse, cum dicit, Sententiam  
 se non eo modo Deum esse, quo id homini conuenire non potest, sed eo modo, Iudaeorum  
 quo homines scriptura Deos appellat. Aio errare Socinum: Neq; enim Christus  
 Christus negauit vnquam, se id dixisse, quòd illi obieciatur; sed solum non corre-  
 xit  
 stendit, id non esse blasphemum eo ipso admittendo, & tacite affirma-  
 do verum esse, quòd illi opponeretur tanquam blasphemum. Neq; vel  
 vno verbo redarguit illorum errorem in non assequendo suorum verbo-  
 rum sensu, sed duritiem, & obstinationem animi in non credendo; ostendit  
 id, quòd illis tantopere blasphemum videbatur, credi ab illis omnino oportere.  
 Si mihi, inquit, non vultis credere, operibus credere. Certè si  
 Iudaei intellexissent ex Christi responsò, non id, quòd ipsi putabant blas-  
 phemum, dixisse Christum, sed aliquid aliud, quòd blasphemiae nomine  
 censeri iure non poterat: abstinuissent proculdubio manus à Christo, & il-  
 lum propter blasphemiam persequi desistissent. Quòd quia non fecerunt  
 (volebant enim illum apprehendere, & ipse exiit de manibus eorum)  
 argumento est, Christum in ea sententia, quam illi blasphemam putabant,  
 perseuerasse, neque ab ea vel minimum deslexisse.

Christus  
maiori ra-  
tione se De-  
um dicit  
quam alios  
homines.

Nam quod ait Socinus, Christum ostendere se eodem modo Deum esse, quo scriptura homines Deos dicit: id nullo modo vero simile est. Non enim eadem, sed maiori ratione, quam illos, quos scriptura Deos dicit, se Deum esse ostendit, quod ex illis verbis manifestum est. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemus, quia dixi Filius Dei sum. Ac si diceret: Multo maiori ratione mihi conuenit, esse Deum, quam illis, quos scriptura Deos appellat. Illi siquidem neque Patrem habuerunt Deum, sed homines: neque de caelo descenderunt, & missi sunt in mundum, sed in terra, & de terra orti sunt. Ego vero Patrem habeo Deum, cuius sum proprius, & unigenitus Filius, qui etiam Pater me, ut Filium suum sanctificauit, suam naturalem sanctitatem mihi communicando per aeternam generationem. De caelo etiam in hunc mundum me misit, tanquam in caelo ortum, ut fierem homo in terra. Itaque tres hic indicantur cause diuinitatis Christi. Prima est, quod Christus Patrem habuerit Deum, & sit Deus de Deo, quae ratio quam uina habeat, patebit infra, cum de Filio Dei agemus. Altera est sanctificatio, quae praecessit missionem in mundum, quae posita est in sanctitatis paternae una cum natura communicatione. Tertia missio in mundum. Enu enim prius in caelo, quam fieret homo in terra. Ex quibus rationibus patet, Christum, se multo maiori ratione Deum uocari posse, & debere, tantquam uerum Deum eiusdem cum Patre substantiae, ostendere uoluisse.

Tertia ratio est, quia Christus ipse suorum uerborum sensum in hunc modum exposuit cum ait. Ego & Pater unum sumus, non se dixisse blasphemiam, sed solum se esse Filium Dei. Vos (inquit) dicitis, quia blasphemus, quia dixi, Filius Dei sum. In illis enim uerbis Iudaei obiciebant contineri blasphemiam. Christus uero ait, se solum dixisse, quod ipse sit Filius Dei. Non dixerat quidem expresse Christus, Filius Dei sum. Sed ego, & Pater unum sumus: & tamen haec pro illis substituit, & haec uoluit esse illorum expositionem, ita ut eo modo dixerit, se unum cum Patre, quomodo Filius cum Patre est unum unitate naturali, non concordiae. Neque enim illa uerba Filius Dei sum, aliam unitatem quam naturalem indicare possunt. Ac si diceret: Dixi, me esse unum cum Patre. Et merito. Filius enim Dei sum. Filium autem esse unius naturae, & essentiae cum Patre necesse est. Quare cum dicerem, me esse unum cum Patre, id eo sensu dixi: Quia Filius Dei sum, & tanquam Filius sum cum Patre una, ea unitate, quae inter Patrem, & filium intercedit.

Socinus ait: Non esse uerisimile Christum, cum ait: Quia dixi, Filius Dei

Christi di-  
uina proba-  
tur natura.

1. Pater Deus.
2. Sanctificatio.
3. Missio in mundum.

Christus  
unum cum  
cum Patre  
quatenus Fi-  
lius.

Exponit su-  
a uerba  
Christus.

filius Dei sum, respexisse ad illa uerba: Ego, & Pater unum sumus. Sed quod alibi ante se Filium Dei appellauerit. At nullo modo, uerisimile est, Christum ad alia uerba ante dicta respexisse; sed ad ea, quae tum obiciebant Iudaei, tanquam blasphemiam, quae, tum in disputationem adducebantur. Nam controuersia inter Iudaeos, & Christum tunc nata non erat, ex aliquibus aliis uerbis, alio tempore dictis; sed ex ipsis uerbis, quae tunc dixerat, quibus uidebatur se facere Deum. Recenti enim quasi blasphemiam commoti aduersus Christum exarserunt. Nulla uero alia uerba, quae blasphemiam uideri possent, & quibus se faceret Deum, dixerat Christus, nisi illa: Ego, & Pater unum sumus. Ex iis enim concludebant Iudaei, quod faciendo se unum cum Deo, se ipsum Deum faceret. Quapropter statim post illa uerba: Ego & Pater unum sumus, subiungit Euangelista: susculerunt ergo iterum lapides Iudaei; indicans Iudaeorum turbationem, ex illis Christi uerbis factam. Deinde optimè intelligitur Christum, cum diceret: Ego, & Pater unum sumus, dixisse, quia Filius Dei sum. Non inuadit enim Patrem, cum quo se unum esse dicebat, se quoque, Filium eius intelligi uoluit; & esse unum cum Deo, tanquam Filium cum Patre naturali unitate. Quid igitur opus est ad remota uerba recurrere, cum proxima id satis in se contineant? maxime cum in hac ipsa Iudaeorum cum Christo disputatione, hoc praecipue ageretur, Quis nam esset Christus? Quotusque, inquiunt, animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam? Quibus respondens Christus, & Patrem suum asseruit Deum, & se cum Deo, tanquam eius Filium unum esse. Denique, quemadmodum Iudaei non aliorum uerborum occasione accusabant Christum, quod se, cum homo esset, faceret Deum, nisi qua dixisset, se, & Patrem unum esse: ita & Christus respondens Iudaeis, non alia uerba sua interpretatur quam ea, quae Iudaei tum obiciebant. Sensus igitur uerborum Christi est. Id circo dixi me, & Patrem unum esse, quia sum cum ipso unus tanquam Filius eius, ab eo sanctificatus, & missus in mundum. Quae omnia unitatem naturae, & diuinitatis, non concordiae, & uoluntatis indicant.

Alia quoque ratione Christus suorum uerborum sensum exponit, cum ex operibus probauit uerum esse, quod dixerat: Ego, & Pater unum sumus. Opera enim, inquit, Patris mei facio, ut credatis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Ac si diceret: Quorum eadem prorsus opera sunt, & quodque unum, & idem. Cum igitur ego eadem opera quae Pater, faciam, sequitur, quod ego & Pater unum sumus, & ita unum, ut ego in Patre, & Pater in me sit, propter communem eandem utriusque naturam.

Ait Soc

Ait Socinus: non rectè concludi ex ea mutua in existentia, vnā virtutē, naturam. Nam, qui credit ( inquit ) Iesum esse Filium Dei, & qui manet in charitate, eum D. Ioan in 1. sua Epistola ait, manere in Deo, & Deus in eo, tametsi non sit eiusdem cum Deo natura.

At non aduertit Socinus, non quomodocūq; hanc in existentiam asseri à Christo; sed ex operibus eisdem cum Patre: quorum enim eadem profectus opera sunt; in ijs eadem est etiam natura, & ratione communis natura eos inexistere sibi mutuo, necesse est. Neque alius modus est, hanc mutuan existentiam, ex ijsdem operibus concludendi: nisi quod opera naturam consequuntur. Cum igitur opera Patris sint in Christo, natura quoq; Patris in Christo erit, & Christi in Patre. Esi igitur alij quoq; modi existentie sint, (nam & nos per Charitatis affectum in Deo sumus, & Deus in nobis) ut ait D. Ioan. Christus tamen hic non quamcūq; in existentiam asserit; sed eam, quam operum identitatis requirit, qua est, ratione natura communis utriq; mutua in existentia. Recteque adnotat Aug. nos quantum in Deo sumus, & Deus in nobis; dicere tamen minimè posse, Ego & Deus vnū sumus. Vt vel ex eo intelligatur, hanc Christi in Patre existentiam ex unitate natura proficisci; in nobis verò solum propter affectum voluntatis. Quocirca cum diceret Christus: ut credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre; idem planè est cum eo, quod dixerat: Ego, & Pater vnū sumus: utrobq; enim natura unitas significatur.

Urgent tandem Ariani. Cur, inquit, aperte non dixit Christus Iudais: Deus sum, omisit tot ambiguis circumlocutionibus? Nos vicissim querimus ab Arianis: Cur aperte non negauit se Deum esse omisit ambiguis circumlocutionibus? Verum merito, neutrum Christus aperte dixit. Negare enim se Deum esse, non poterat, cum id & antè affirmaverit, dicendo se vnū cum Patre, & post dicendo, se Dei Filium confirmaverit. Asserere verò expresse non expediebat: ne furentes animos Iudeorum, quiq; Dei nomen Christo tribui ferre non poterant, magis exasperaret; sed potius opus erat, ut mitissimo responso, & moderatione verborum placatos redderet. Quare & à Dei nomine consulto abstinuit, & pro eo quid moderatius supposuit, Filius Dei sum: cum tamen dicens se Filium Dei, Deum quoq; se esse diceret.

Non repugnare rationi, vnā essentiam esse in pluribus personis.

CAPVT

CAPVT VII.

Consent Ariani, incredibile quiddam nos asserere, cum dicimus, vnānam plurium personarum essentiam. At creditu id quidem difficile est, quod nullum eius rei exemplum in rebus creatis habeamus, non tamen impossibile, cum nihil in eo inuenire possimus, quod contradictionem vllam inuoluit. Porro ea regula est diuina potentia; ut id omne credamus à Deo fieri posse, quod contradictionem non inuoluit. At ita nullam contradictionem inuoluit, vnā numero essentiam esse in pluribus personis: sicut nullam contradictionem inuoluit, vnā numero essentiam habere plures substantias, seu modos subsistendi. Personam enim dicimus substantiam incommunicabilem natura intellectualis: tot igitur erunt persona, quot substantia natura intellectualis; & quemadmodum non repugnat vnā numero essentiam habere plures substantias; ita neque habere plures personas. Ait Socinus, Aristotelem solum duplicem substantiam statuisse, primam, & secundam: Persona igitur cum sit prima, non secunda substantia, nihil aliud erit, quam substantia indiuidua; hoc enim voluit Aristoteles esse primam substantiam. Quod si persona sit substantia indiuidua; non possunt esse plures persona, existente vna substantia indiuidua. Respondeo, personam ad primam substantiam pertinere. Verum prima substantia, quatenus subsistit incommunicabiliter, dicitur persona, quatenus vero est, hæc numero natura, in plures naturas indiuisibiles, dicitur substantia indiuidua. Quare sicut non repugnat vna substantia indiuidua existente multiplicari substantias; ita non repugnat multiplicari personas. Non enim secundam idem esset, & non esset substantia indiuidua. Nam quo ad essentiam esset indiuidua; non quo ad substantias. At substantia, inquit, prima non est in subiecto, teste Aristotele. Fateor. Verum etiam substantia secunda non est in subiecto, & tamen pluribus primis substantiis communicari potest. Ait. Demonstrata hac numero essentia hominis, demonstratur persona hominis. Respondeo, id ita esse, quod nunquam hæc numero essentia nisi subsistens inueniatur. Neque enim dicimus naturam extra personas subsistere. Id verò, quod dicimus, est, alio respectu naturam illam dici indiuiduam, alio personam. Nam quatenus est, hæc numero essentia, dicitur indiuidua, quatenus est subsistens incommunicabiliter, dicitur persona. Urget Statortius, cum dicimus. Hoc numero, excludimus plura, quare & cum dicimus, hanc numero essentiam, plures personas excludimus. Respondeo: Soluitur.

Regula diuina potentia

Persona quid.

1. Obiectio.

Responso. Persona est prima substantia.

2. Obiectio.

Responso

3. Obiectio. Responso

4. Obiectio.

Soluitur. Hoc nu-

MARKOBAY

Hoc numero, excludit plura numero, non plures substantias. Hoc enim numero, non est plura numero: ut hoc numero, pluribus modis subsistere non repugnat. Quod si instat, plures personas, esse plures numero: respondeo, esse plures numero substantias, non esse plures numero naturas. quare unitas numerica natura per multitudinem substantiarum non violatur. Non potest, inquit, fieri, ut hic homo, nempe Socrates sit alius à Socrate distinctus. Respondeo, si hic homo accipiatur non solum pro hac numero essentia; sed etiam pro hoc numero subsistente, Sic omnino fieri non potest, ut hic homo sit alius quippiam quam Socrates. At si solum accipiatur pro hac numero essentia; sic & si naturaliter repugnet, per Dei tamè potentiam non repugnat: quemadmodum non repugnat hanc numero essentiam habere aliam substantiam.

5.  
Obiectio  
Soluitur.

6.  
Obiectio  
Soluitur.

Instat Statorius, si Filius sit unus Deus cum Patre, consequitur Filium esse Patrem. At minimè id sequitur: & si enim sit, unus cum Patre essentia, non tamen est unus substantia; cum quemadmodum unam essentiam, ita distinctam Patre substantiam habeat. Porro propter distinctas substantias dicuntur persone distincte, & una non esse alia. Neque verò in mysteriis Fidei, que omnem rationem excedunt Demonstrationes requirenda, sed satis est, si oppositæ rationes solvantur, & appareat nullam in illis, que Fide credimus, contradictionem in esse.



SECUN

SECUNDA PARS  
REFUTATIONIS DE  
CHRISTO SEMIDEO, ET  
SEMIDOMINO.

Quantum errent Ariani, cum Christum esse  
natura Deum negant.

CAPUT VIII.

**U**M Christum Ariani Deum prædicant, Dei nomine hominem intelligunt diuina potestate, & honore præditum, totaque diuinitatis eius essentiam in his duobus positam volunt, nempe in honoris, & potestatis diuina participatione. Hoc autem veluti fundamento posito progrediuntur ulterius, & affirmant Christum toto vitæ suæ tempore non fuisse plenè, perfectèq; Deum, ac Dominum; sed Semideum, Semidominumq;: & non nisi post resurrectionem ad plenam, & perfectam diuinitatem euectum, quod tum demum & honorem, & potestatem diuinam plenè obtinuerit. quin & hoc argumento vtuntur ad ostendendum Christum non fuisse natura Deum, quod suam diuinitatem, non nisi post Resurrectionem, integrè ac plenè habuerit: Verum in utroq; grauissimè errant: & quod natura esse Deum Christum, negant, & quod esse potestate affirmant. Nam quod ad primum attinet, quis non videt, quantum scripturis omnibus, & rationi repugnet; aliquem pro Deo colere, qui non sit natura, & essentia Deus? Sanè Diuus Paulus ad Galatas scribens. Cap. 4. v. 8. hoc unum magna illorum ignorantia tribuit, quod eos, qui non essent natura Dij, coluerint. Tunc, inquit, ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt Dij, seruebatis. Ignorant igitur secundum Apostolum Deum, qui eum pro Deo colunt, qui natura non est Deus. Neq; verò aliud quippiam in illorum Deorum cultu, eo loco reprehendit; nisi quod tales Deos colerent, qui natura Dij non essent, quasi nefas sit, & à vera religione alienum eos ut Deos venerari, qui diuinam essentiam non habeant. Ignorant igitur Ariani Deum, cum Christum pro Deo colunt, cui diuinam essentiam denegarunt; ita ut omni-

Arianorum  
de Christi  
diuinitate  
sententia.

Qui non est  
natura De-  
us, coli pro  
Deo nequit

Ariani ig-  
norant De-  
um.

no necesse sit, vel cultum diuinum Christo negare, vel diuinam essentiam concedere. Ad Romanos vero cap. 1. v. 25. ait eos, veritatem Dei in mendacium commutasse; quod coluerint, & serauerint creatura potius, quam Creatori. Sanè totam vim in eo Paulus ponit, quod eum Deum colerent, qui esset creatura, non Creator: in eo, veritatem Dei in mendacium commutasse, ait, quod Dei veri honorem in creaturam, quæ Deus esse non potest, transtulerunt. Eodem igitur modo, Ariani, veritatem in mendacium commutarunt, cum Christum pro Deo colant, quem negant esse naturam Deum, & Creatorem, sed creaturam. Neg, dicere possunt, solum à Paulo reprehendi, quod potius creatura, quam Creatori seruirent: utrumq; enim à Paulo reprehenditur, & quod Creatore relicto, & quod creatura seruiert: idcirco enim creaturam vocat mendacium: quia creatura non est Deus, qui coli possit. Hoc enim est veritatem Dei in mendacium commutare, veri Dei cultum in falsum seu in id, quod Deus esse non potest, transferre: ita ut utrumq; in hac commutatione reprehendatur, & veritas Dei relicta, & in mendacium commutata. Non possunt etiam euadere dicendo, falsorum Deorum cultum ibi damnari non subordinatorum. Nam Paulus clarè non aliud in illis Diis reprehendit, nisi quod sint creaturae, ita ut eò, quod creaturae sunt, veri Dii esse non potuerint, sed mendacium, hoc est, falsi Dii. Quare si Christus non est Creator sed creatura, quantumvis Deo subordinatus statuatur, non erit Deus verus. Et Ariani Christum eo modo colentes, iudice Paulo, mendacium colunt. Rectè enim ab Hieronymo scriptum est. cap. 10. v. 11. Omnes Deos, qui cælum, & terram non fecerunt profligandos, & exterminandos esse, quod nullus eorum sit essentia Deus: præter solum cæli, terræq; Creatorem. Dii (inquit) qui cælum, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de sub cælo. Ecce non aliam ob causam, nisi quod Dii illi cælum, & terram non fecerunt, eos è terra eiiciendos esse, Propheta affirmat. Nam quod ait Socinus, ea ratione exterminandi essent, & alii Dii, qui tamen Deo sunt cari; dico, nullum esse tale periculum. Scriptura enim solum loquitur de Diis, qui diuina ratione coluntur, non verò de similitudinariis, & Metaphoricis, quales sunt homines, & Angeli, quibus diuinus cultus non debetur: Vult igitur omnes eos Deos, qui pro Diis colendi statuuntur, cum terram, & cælum non fecerint exterminandos esse, solumq; Deum Creatorem cæli, & terræ adorandum. Quare cum ait subordinatos Deos non excludi; Primum id falsum est. Si de Diis, qui colendi proponuntur, sit sermo: tales enim

Mendacium colunt. Dii qui non creauerunt cælum, & terram non sunt colendi.

omnes Dii sunt exterminandi, tanquam falsi, cum cælum, & terram non creauerint; quantumvis finguntur subordinati.

Deinde & illud quàm absurdum est dicere, Christum Deum subordinatum, & dependentem? ut enim supra satis demonstrauimus, Dei rationi id omnino aduersatur. Nam nihil ita Deo repugnat; quàm dependere, & subordinari alteri. Deum enim esse, est summum quid esse, & independentens. In eo enim, in quo quis dependet ab altero, non Dei, & Domini, sed ministri, & serui rationem induit. Ministri enim est subiici; Dei, & Domini cum summa, & independenti potestate præesse. Quocirca nullus unquam in tota antiquitate pro Deo habitus est, qui esset alteri subordinatus, & dependens; sed omnes tales Deos coluerunt, quos summos, & independentes in aliquo eorum genere putauerunt: ita, ut hæc de Deo notio, quod sit summum quoddam, & independentens, impressa ab ipsa natura, & scripta in cordibus videatur, à qua nulli hætenus contrigit aberrasse, nisi nouis hæc Ariani: qui primi Deum dependentem, & subordinatum per summam stultitiam induxerunt. Hoc enim ipso, Christo omnem Dei dignitatem abstulerunt; cum nihil Dei Maiestatem ita dedecet, sicut subordinatio, & dependentia.

Iam verò & illud errorem Aduersariorum satis resellit; quod nisi Christus sit Deus essentia, & natura, non erit Deus verus, sed similitudinarius, & Metaphoricus: quod ne ipsi quidem, cum quibus pugnamus, Aduersarij dicere audent. Na & Socinus, & Statorig, & Moscorouig, & Smalcig Christum verum Deum nominant. At qua ratione verus Deus dici poterit, qui veri Dei essentiam non habet, quicquid à vero Deo essentia distinguitur? Quemadmodum enim qui hominis essentiam non habet, nequaquam verus homo dici potest, neque verum aurum, quod caret auri essentia: ita qui Dei essentiam non habet, verus Deus dici non poterit? Quamlibet enim rem dici veram à sua essentia Philosophi docent, & ab eodem principio fortiri, quod sit, & quod vera sit. Iam si Christus nihil de essentia Dei habeat, sed similitudinem tantum potestatis, & honoris, quomodo verus, & non potius similitudinarius, & Metaphoricus Deus dicetur? Nam sicut homo pictus, Metaphoricus homo est, quod similitudinem tantum hominis habeat, non veram hominis essentiam: ita Christus si nihil cum Deo habeat in essentia commune; sed solum similitudinem potestatis, & honoris, proculdubio similitudinarius, & Metaphoricus Deus dici debet. Quapropter Scriptura non immeritò summum illum Deum, solum esse verum Deum, agnoscit: quod ipse solus essentiam Dei habeat; alii verò præ-

2.  
Christus non esset Deus verus.  
Deus verus non est sine Dei essentia.

Christum Ariani Deum Metaphoricum faciunt.



ter ipsum sine Dei essentia non veri Dij, sed similitudinarij censendi sunt. Hec est (inquit Christus, Ioan. 18.) vita aeterna: ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti IESUM Christum. Ac si diceret, tu solus verus Deus es, quia Dei essentiam habes; qui verò à te diuersi sunt essentia, & natura, Dij veri non sunt.

Negant esse  
verum De-  
um

Ait Socinus, Christum dici verum Deum, quòd falsus non sit: At hoc modo homines, & Angeli, qui in scriptura Dij ob similitudinem dicuntur, essent dicendi veri Dei: constat enim non esse falsos Deos. Essent igitur innumeri Dij veri, neq; verum esset, quod Christus de Patre affirmavit, ut cognoscant te solum verum Deum. Neque enim solus erit verus Deus, si Dij quoq; Metaphorici erunt Dij veri. Deinde rationi repugnat, ut quòd Metaphoricè, seu ob similitudinem dicitur tale, sit verè tale. Ergo si Socinus Christum ob similitudinem Deum esse credit, non potest eundem verum Deum affirmare; etiamsi falsus non sit. Is dicitur falsus Deus, qui nec veram essentiam, nec veram similitudinem Dei habet, quo modo idola, & Gentilium Dij erant falsi Dij. Qui verò essentiam Dei non habet, sed veram cum Deo similitudinem habet, neq; verus, neq; falsus Deus dicitur: non verus, cum vera Dei essentia careat: non falsus, cum non falsam, sed veram cum Deo similitudinem gerat. Dicitur ergo Deus Metaphoricus, sicut homo pictus dicitur metaphoricus homo. Non potest igitur Christus Deus verus appellari, eo solum nomine, quòd non sit falsus Deus, sed verus est, quòd veram Dei essentiam habeat.

Smalcus  
refellit.

Smalcus ait, summum illum Deum solum dici verum Deum, non quòd alij non sint, aut esse possint Dij veri, sed quòd ille solus sit *ὁ θεός* hoc est, excellentissima ratione Deus. Sic, inquit, Euangelium respectu legis dicitur veritas; non quòd lex vera non sit, sed quòd ea excellentius in Euangelio quàm in lege inueniatur. Sicut tabernaculum, in quod Christus ingressus est, dicitur verum respectu legalis. Heb. 8. v. 2. Sed errat Smalcus: Nam quum *ὁ θεός* dicimus, vel Ciceronem Oratorem, vel Aristotelem Philosophum, non negamus alios Oratores, & Philosophos dici posse, neq; solum Ciceronem Oratorem, solum Aristotelem Philosophum asserimus; sed absolute illi nomen Oratoris, huic Philosophi ob excellentiam tribuimus. Cum igitur scriptura illum unum Deum solum esse verum Deum affirmat, exclusis aliis omnibus Diis: profectò non *ὁ θεός*; sed omnino, quòd nullus alius sit, verus Deus, id affirmare credendum est. Neque Smalcij exempla ad propositum faciunt. Nam Euangelio tribuitur veritas, quia res ipsa continet; quorum lex solum si-  
gua

gna, umbras, figuras continebat: quare lex veritatem ipsam rerum, quae significabat, non habebat, sicut nec tabernaculum legale continet veritatem illius tabernaculi caelestis. At non de tali veritate hic agitur cum Deum verum dicimus: non enim veritatem hic signis, & figuris opponimus; sed quatenus ad ipsam essentiam spectat, consideramus.

Addere possumus, & tertiam rationem, quòd nisi Christus sit natura, & essentia Deus, diuino cultu affici nullo modo possit. Nam & scriptura diuinum cultum uni, & soli Deo, qui essentia Deus est, assignat: & solius diuinae essentiae respectu talis cultus Deo debetur; ita ut nulla cum Deo similitudo satis esse possit ad eum usurpandum. Et quidem scripturae loca illustra sunt illa. Matth. 4. v. 10. Scriptum est. Dominum Deum tuum adorabis; & illi soli serues; quam Dei legem ex Deut. 6. acceptam, Christus non sustulit, neq; mutauit, sed confirmavit aduersus Diabolum, diuinum sibi cultum tribui exposcentem. Vnus ergo ille Deus, qui natura, & essentia Deus est, solus est adorandus, illi soli seruiendum. Friuolum autem est, quòd Socinus ait fol. 450. quo tempore illa lex Deuteronomi lata est, nondum Christum extitisse, nec diuina potestate, ob quam diuinus cultus ei debetur, fuisse donatum. Nam ut omittam, falsum esse, Christum eo tempore non extitisse, cum ipse de se dicat, Antequam Abra-  
Iudaei Chri-  
sti diuinita-  
tem creden-  
bant.

3.  
Christus eo  
li pro Deo  
non posset.

Deo cultus  
ratione sum  
essentiae des-  
betur.

Addit Socinus, illi lege Deuteronomij falsos Deos excludi, non autem subordinatos, qualis est Christus. Eius enim honor totus, in unicum illum Deum refertur; à quo Christus diuinam potestatem accepit; ita, ut cum Christus adoratur, non tam Christus, quàm Deus ipse Pater adoratur. Falsorum verò Deorum cultus in illum unum Deum non refertur, quòd Dij falsi non sint illi uni Deo subordinati, ideoq; à diuino cultu excluduntur. At non videt Socinus, in lege Deuteronomij idcirco alios Deos excludi;

cludi; quod Deus verus unus est. Ita enim dicitur. Audi Israël, Deus tuus, Deus unus est. Ergo quicumque sunt extra illum unum Deum excluduntur, siue sint oppositi, siue subordinati, quia Deus Israël, hoc est, qui ab Israël colendus est, unus est. Deinde quicumque est extra illū unū Deum, est falsus Deus (si de Deo, qui coli debeat, loquamur) nulli enim nisi uni Deo diuinus cultus iure secundum scripturas deferri potest. Præterea & illud falsum est, Deorum subordinatorum cultum in Deum referri. Si enim Deus omnem diuinum cultum sibi reseruauit, & alteri communicari vetuit: quomodo is cultus in Deum refertur? Accedit, quod uti Deus est super omnia; ita diuinus cultus est, colere Deum super omnia. Hic verò cultus nulli, nisi uni, & summo Deo, qui solus est super omnia conuenire potest, neque citra ipsius iniuriam potest alteri deferri. Hoc enim esset, alterum agnoscere Deum super omnia, essetque auferre Deo vero honorem debitum super omnia. Si enim alter præter ipsum sit super omnia, iam ipse non erit super omnia, quia non erit super illum alterum Deum, qui ponitur esse super omnia; imò neuter esset super omnia; quia neuter esset super alterum; & ex consequenti, neuter esset super omnia. Si verò quis colatur infra Deum super omnia, ut Ariani Christum coli voluit, iam non eodem honore, quo Deus colatur, sed inferiori. deinde neque colatur ut Deus, cum Deus sit quid summum, & super omnia, & quo maius cogitari non potest, quod huic, qui supra se alium habet, conuenire non potest. Nec minus alter ille locus 1. Tim. 1. v. 17. terget Aduersarios. Vbi, Regi seculorum immortalis, & inuisibilis, eo quod solus ipse sit Deus, honor & gloria diuina deberi dicitur, non aliam sanè ob causam, nisi quod solus ille diuinam essentiam habeat. Isaia quoque, Cap. 42. v. 10. ait Deus. Ego Dominus, seu Iehoua, hoc est, nomen meum, gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. Nam quemadmodum nulli alteri nomen Iehoua competit, præter unum illum Deum, qui essentia Deus est, ita neque gloria, & laus Deo Iehoua debita cum ullo alio communicari potest. Quare quod Socinus ait, fol. 320. solum sculptilia hoc loco excludi, quorum honor in illam unum Deum non redundat. Primum falsum est, scripturam ad sola sculptilia restringendam esse: nam Deus primum vniuersè pronunciat: gloriam meam alteri non dabo; tum in particulari adiungit, nec laudem meam sculptilibus; ita, ut nulli omnino diuinus honor comunicandus sit, non solum si sit Deo oppositus; sed etiam si sit subiectus, & subordinatus. Deinde causam eius rei assignat, ob quam gloriam suam alteri non sit daturus. Ego, inquit, Iehoua, hoc est nomen meum, ut ostenderet, quod

Vnus Deus  
super omnia.

Soli Deo  
Iehoua cultus  
diuinus  
debetur.

Gloriam  
suam Deus  
alteri non  
concedit.

quemadmodum nomen Iehoua cum nullo altero est illi commune; ita neque gloriam posse esse communem. Eo igitur modo, quo non est daturus, seu permissurus unquam Deus, ut quis ab ipso diuersus sit, aut dicatur Iehoua: ita neque daturus, aut permissurus est suam gloriam alteri communicari.

Quod scriptura dicit, id etiam ratio in iisdem scripturis fundata confirmat. Diuinus enim honor Deo debetur præcisè propter diuinam eius essentiam, & naturam, quæ ex se tali honore dignissima est. Impossibile igitur est aliquem diuino honore dignum esse, qui diuinam essentiam non habeat. Quilibet enim honor, in aliqua eius, qui honoratur dignitate, & perfectione fundatur: cum nihil aliud sit honor, quam reatum iudicium de alicuius dignitate, seu eius dignitatis recognitio, æstimatio, veneratio. Diuinus itaque honor fundatur in essentia diuina dignitate, quæ cum sit infinita, infinitum quoque honorem promeretur. Aliarum porro rerum honor fundatur in aliis perfectionibus creatis; quæ uti à perfectione diuinæ essentia sine fine distant; ita & honorem sine fine minorem merentur. Ex quo consequitur, non posse res creatas, nec eadem honoris specie, nec eodem honoris gradu, quo Deus, coli atque affici; cum tanto interuallo res creatæ à Deo distent. Quapropter explodendus prorsus Socinus est, qui Christo diuinam essentiam negat, & tamen honorem diuinum concedit, eundem, inquam, specie cum diuino, licet, non eundem, quo ad gradum. Nam quemadmodum non est eadem specie Dei, ac creaturarum perfectio, ac dignitas; ita neque est idem specie honor: Ex quo sequitur, maiori Deum honore coli, quam creaturam; non solum quoad gradum, sed etiam quoad speciem honoris.

Iam cum dicit Socinus, Deum cum Christo suam diuinam potestatem communicasse; ergo & honorem. Primum nego: si Christus non sit essentia Deus; ei diuinam potestatem eo modo, quo in Deo est, communicatam esse. Nam potestas in Deo non est accidens; sed ipsa Dei essentia, & idem quod ipse Deus. Si igitur talis potestas Christo esset communicata, ipsa quoque essentia diuina esset communicata, quod Socinus non admittit. Deinde potestas in Deo est summa, & independens; qualem potestatem negant Aduersarij Christo communicatam. Quod si contendat potestatem non qualis in Deo est, sed aliquam eius similitudinem Christo communicatam esse, eiusmodi potestas nullo modo diuinum cultum meretur; tum quia ab ea potestate, quæ in Deo est infinite distat; tum quia diuina potestas aliis quoque rebus, nempe hominibus, & Angelis communicatur;

Ratione  
idem probatur.  
Deo cultus  
debetur propter diuinam  
essentiam.

Non est idem  
specie Dei  
honor &  
creaturæ.

Diuina potestas  
qualis  
Christo  
comunicatur.

Potestas etiam  
adiuinum  
cultum non  
meretur.

tur: qui tamen propterea diuino cultu afficiendi non sunt. Omnium sanè iudicium potestas à Deo est, teste Paulo. Rom. 14. v. 1. Angeli quoque cum diuinitus sibi data potestate mittuntur ad homines. Apostoli, & alij Sancti viri à Deo potestatem acceperunt, qua ipso Christo teste multo maiora, & admirabilia opera, quam Christus ipse, patrarunt. Quis tamen hos diuino cultu afficiet, & non potius Deum ob collatam illis potestatem colet, & venerabitur, cum satis constet, illos non ex se, sed ex Deo hanc potestatem habere. Certè, si id semel admittatur, ipsos Gentiles numero, & multitudine Deorum superabimus. Aiunt, maiorem Christo quam ceteris potestatem datam, eamque non communem, sed solius Dei propriam. Quasi verò, si Christus maiori potestate præditus sit, omni honore dignus habeatur: ceteri verò, qui minorem potestatem communicatam habent, nullo. Imò proportio omni iure seruanda est, maiorque illi honor deferendus, qui à maiorem dignitatem, & potestatem consecutus est; minor ei, qui minori potestate, & dignitate excellit, non verò nullus, quippe qui nonnullam; sed aliquam habet dignitatem, & potestatem. Cum verò dicitur, Christo homini potestatem solius Dei propriam tributam, iam paulò ante id expendimus, solumque id eo sensu verum est, quia solius Dei proprium est supra naturam facere, cum scriptum sit. Qui facit mirabilia magna solus. Verùm hanc potestatem mirabilia supra naturam faciendi, neque Christo, homini concessam esse eo modo, quo in Deo est; neque aliis denegatam, quos Christus maiora se facturos miracula prædixit, satis constat. Quos tamen omnes eo diuino cultu dignari nefas sit: pari quoque ratione neque Christo diuinus honor ea propter tribuendus esset; aut si Christo tribuitur, cur non & aliis? Christo quidem maior, propter maiorem eius potestatem: aliis verò minor propter minorem potestatem; utriusque tamen idem specie honor, nempe diuinus propter diuinam potestatem tribueretur.

Proportio  
in cultu ser-  
uanda.

Ariani pro-  
pter Dei mā-  
datum, diui-  
num Chri-  
sto cultum  
concedunt.  
Sed male.  
Christus ex  
se dignus est  
diuino cul-  
tu.

Socinus ait, Christo propter Dei mandatum, & imperium diuinus honor omnino conferendus est. Donauit enim illi Deus nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine eius omne genu flectatur. Aio ego. Si potestas Christo communicata diuinum cultum non meretur: neque Deus eum mandare vllō modo potuit: cum alienum planè sit, non à diuina solum iustitia, sed etiam ab omni prorsus ratione, ei cultum deferre, qui illo planè non sit dignus, & præcipere ut is, pro Deo colatur, qui verè Deus non sit, & diuinum in se habeat nihil. Quod si dicat Socinus, eam potestatem mereri id, ut eius respectu Christus diuino honore affici-

re afficiatur, concedat igitur oportet non propter Dei mandatum, sed propter propriam suam dignitatem Christum diuinum honorem mereri. At si hoc ita est; pari ratione dicendum esset, mereri diuinum honorem, omnes illos quicunque diuina potestate sunt præditi, maiorem quidem, aut minorem, prout maiorem, vel minorem potestatem acceperunt.

Ad hæc propter potestatem à Deo dependentem, nemo pro Deo coli debet. Potestas enim dependens est Ministri, non Domini. Cum ergo omnis ea potestas Christo homini collata ad ea que supra naturam sunt efficienda, sit à Deo dependens; sequitur, eius respectu Christum pro Deo coli non posse. Ea verò dependentia Christi hominis à Deo etiam in præcipuis illis actionibus ad salutem nostram spectantibus cernitur, nempe in remissione peccatorum, & vita æterna; quorum utrumque, Dei solius virtute per Christum hominibus conferri non dubium est. Quanquam eadem Christi opera quatenus quidem per humanam eius naturam fiant, sunt à Deo dependentia; quatenus verò diuina Christi potestate præstantur, sunt summa Christi potestate. Deinde negari non potest, quin cultus ille diuinus sit, qui Deo propter eius essentiam debetur: quare omnis alius cultus diuinus non erit; qui non ratione diuina essentia tribuitur: neque enim duos diuinos cultus fingere possumus; vnum ratione essentia Deo debitum, alterum ratione cuiuspiam alterius perfectionis; cum satis constet, in Deo nullam perfectionem esse, qua non sit eius essentia: accidentia enim in Deo locum non habent, ac proinde nullum alium esse diuinum cultum, nisi qui Deo ratione eius essentia debetur. Cum igitur Christo Ariani diuinam essentiam denegant, omnem etiam diuinum cultum Christo auferant, necesse est. Denique cum aiunt, diuino mandato Christum esse colendum: peto an hoc ita intelligant, ut præter Dei mandatum nulla sit in Christo dignitas, qua diuinum cultum mereatur. Si enim id ita est, mandatum ipsum Christum faciet Deum, & nihil in Christo erit cultu diuino dignum, nisi Dei mandatum: Dei ergo mandatum, non Christus coletur. Quod si concedat in Christo diuinitatem adoratione dignam, ante omne Dei mandatum; iam ergo non tam propter Dei mandatum, quam propter propriam dignitatem Christus erit adorandus. Hæc porro dignitas nulla esse potest præter essentiam diuinam, ut ex dictis satis est manifestum. Ex his satis opinor constat, quam absurdè Ariani diuinitatem Christi non in essentia diuina, sed in potestate, & honoris diuini participatione collocant. Quanquam si quis penitus rem introspiciat, aduertet Arianos nomine tantum, non re Christum Deum crede-

2.

3.

Deo cultus  
solius essen-  
tia ratione  
debetur.

4.

Mandatum  
Dei non fa-  
cit Christum  
Deum.

**Christus Arianis Deus nomine te-  
aus.** **Generalis Dei vicarius**  
 re. Rē enim ipsa, nihil illi tribuunt, nisi potestatem, qua Dei nomine nobis praesidet. Ad hac potestas non Deum facit, sed Genem lem Dei vicarium, Dei nomine, & potestate gubernantem omnia. Quare si proprie loqui velimus, Christus Arianis erit non Deus, sed Vice Deus, vel Generalis Dei Vicarius; quum hoc sit proprium Generalis Vicarij potestate a Domino accepta omnia gubernare. Quemadmodum autem Generalis Regis Vicarius non est Rex, sed Regis nomine gubernator; ita & Christus, si nil aliud nisi Vicarius Generalis Dei est, Deus non esset, sed Gubernator Generalis. Ita isti homines suis figmentis totam Christi diuinitatem evertunt.

Christum toto vitæ suæ tempore non Semideum, Semidominumq; sed plenè Deum, ac Dominum fuisse.

## CAPVT. IX.

**A**RIANI Christum toto vitæ suæ tempore Semideum, Semidominumq; faciunt; quòd diuinam potestatem, non nisi in Resurrectione plenè, ac integrè consecutus sit. Quod primum ex dictis in capite precedenti satis refellitur. Diuina enim Maiestas sola Dei essentia continetur: qua uti indiuidua est, ita fieri non potest, ut quis Deus dicatur, qui integrè non sit Deus, multo minus, ut vel Semideus, vel imperfectus Deus dicatur. Verùm Ariani, quia contra omnes scripturas, & rationem diuinitatem Christi, non in essentia, sed in potestatis diuinae participatione collocant; idcirco eandem diuiduam faciunt. Quamquam & in eo turpiter errant. Nam etsi potestatem diuinam in Christo, partibilem daremus, tamen ex scripturis constat, nunquam Christo aliquam diuinæ potestatis partem defuisse; sed plenè semper, ac integrè Deum, ac Dominum fuisse. Nam si potestas, & dominium Christi fuit toto vitæ eius tempore diminutum, & imperfectum; fuit igitur aliquid, quod Christi potestatem excedebat, quodq; etiam si vellet facere, non poterat. quod quid absurdius dici, aut cogitari ab homine christiano potest? Quid enim obsecro, eiusmodi est, quod Christus facere non poterat? Nam si de rebus creatis loquamur, in eas omnes, & singulas Christus habuit amplissimam potestatem, ut eis vti posset ad libitum, siue ad miraculum, siue ad quouis alium usum. Hinc ventis, & mari tanquam Deus imperauit; in portibus intrandi potestatem Demoniis fecit, ut eos mergerent in mari, ac perderent.

Nihil est quod Christi potestatem excederet.  
 Potestas Christi amplissima.  
 In rebus.

derent. Asinam, & pullum solui iussit, & adduci non interrogato utriusq; Domino, utendo summa illa sua potestate, quam in omnes res creatas, & omnium bona, & facultates habebat; neq; aliquid eiusmodi dari potest, cuius plenam potestatem non haberet; quodq; ad arbitrium vti, quo vellet modo non posset. Nam etsi non omnibus rebus de facto usus sit, tamen quam potestatem in aliquas res exercuit, eandem in alias quoq; exercere potuit, quod par sit, eademq; ceterarum ratio. Quod ad homines attinet, summam in eos potestatem habuisse, tum quo ad corpora, tum quo ad animas, non dubium est. Ita enim de seipso faturus. Ioan. 17. v. 2. Dedit ei potestatem omnis carnis. & Ioan. 5. disertis verbis ait, se parem cum Patre habere potestatem in homines, tum quo ad corpora vitam eis tribuendi, tum quo ad animas, iudicandi, condemnandi, saluandi. Sicut (inquit) Pater suscitatur mortuos, & viuificat; sic & Filius, quos vult, viuificat. neq; enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio: ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant, & Patrem. Et v. 26. Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso. Quæ verò maior potestas in homines fingi potest, quam quæ & corpora, & animas complectatur, maximè si eo modo, & perfectione quis illam habeat, quo ipse Deus habet. In Demones quoq; potestatem suam exercuisse, satis ex Euangelio constat: neq; enim solum imperio eius è corporibus pellebantur; sed etiam ita illius summam potestatem reformidabant, ut ne porcos quidem attingere auderent, nisi impetrata à Christo facultate, & illud præcipue supplicarent, ne ipsos in abyssum mitteret, atque detruderet. Angelis deniq; præfuisse Christum, ut Dominum seruis, ac ministris, luce clarius est. Si enim fuit Dominus hominum, Angeli autem omnes administratorij spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis; Quis dubitet Angelos quoq; ipsius dominio fuisse subiectos, ut ex eius nutu, & voluntate in procuranda hominum salute penderent? Neq; verò dubium est, quin unico vultu, si voluisset, euocare, quot vellet, Angelos potuisset, illisq; quod cuperet, ministerium præscribere. Nam quod Matth. 25. v. 53. ait. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? Non eo sensu id dixit, quasi sua potestate euocare illos de celo non posset; sed quod in eis, & quæ ipse præstare poterat, Patri semper deferebat. Si enim nihil erat in celo, quod illi poscenti Pater denegaret, quomodo potestatem in Angelos denegaret? Ea enim ipsi tanquam Filio Dei conueniebat. Qui enim Patris ministris

In homines

In Demones

In Angelos

Christus Patri afferre soluit.

Angeli ministrabant in deserto Christo ut Domino.

Angeli ministri sunt, eos & Filij ministros esse oportet. Quocirca cum Christo in deserto Angeli accedentes ministrarunt: non ea ratione ministrasse creditum est, uti ceteris hominibus iussu Dei ministrant, veluti curatores ipsorum à Deo constituti: neque enim tali cura ad suam salutem Christus ullo modo eguit, qui author omnino salutis fuit, & in nullo deficere potuit; sed ita illi ministrarunt, ut suo Principi, ac Domino, quem principatum Christus habuit, tum ut Dei Filius. Si enim Filius, certe, & heres omnium bonorum Patris, uti loquitur S. Paulus Rom. 8. tum ut princeps salutis hominum, cuius salutis Angeli, tanquam administratorij spiritus sunt Christo à Deo traditi. Et sanè sicut Famili Regis aliter seruiunt Filio Regis, aliter aliis Regis subditis: Nam his propter Regis mandatum famulatum exhibent, non propter ipsorum dignitatem, ac potestatem, Filio autem Regis, non solum ob Regis mandatum; sed præcipue propter ipsam Filij dignitatem: Ita & Angeli Christo, non ut subdito, aut sucure commisso; sed ut Principi, ac Domino famulabantur. Maxime cum ab ipsa Christi in hunc mundum introductione, hoc est, à prima Christi in terris origine, à Deo mandatum acceperint, ut eum adorarent. Heb. 1. v. 6. Ex his igitur perspicuum est, nullam illi potestatis partem defuisse, toto vitæ ipsius tempore; & ex consequenti plenum dominium habuisse, cum Dominum Christi, ex sententia Aduersariorum potestatem Christo tribuunt, ipsum sacre literæ confirmant, cum omnem potestatem Christo tribuunt, & tantam, quantum ipse Pater habet. Ioan. 16. v. 15. Omnia quæcumque habet, Pater mea sunt. Ioan. 17. v. 10. Mea omnia tua sunt, & tua mea sunt. Et supra. v. 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Ioan. 5. Quæcumque pater facit, hæc & Filius similiter facit. Matth. 11. v. 22. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Quamuis enim eas sententias Christus ad res particulares, de quibus tum agebat, applicuerit, minime tamen eas restrinxisse ad aliquod tantum genus rerum putandus est; sed ex vniuersali sua potestate, quam in omnia habebat, particulares eiusdem potestatis effectus asseruit. Non fuit ergo unquam Christi potestas imperfecta, nec dominium.

Christus equalis Deo

Iam verò quomodo audent Ariani Christum tota vita sua Semideum, Semidominumque asserere; cum scriptura manifestè dicat, Christum tum fuisse æqualem Patri: neque enim equalis Patri esse posset, nisi plene Deus, ac Dominus esset. Duo sunt præcipua de hac re testimonia; unum est, ad Phil. 2. Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Satis enim constat, ante mortem Christum hanc æqualitatem

habuisse: ita ut cum persuasissimum haberet, hanc suam cum Deo æqualitatem se amittere non posse, semetipsum exinaniuerit, & humiliauerit usque ad mortem. Quanta verò fuerit hæc æqualitas docet illis verbis: Cum in forma Dei esset. Talem enim formam Dei habuit, quæ esset equalis Deo. Non igitur Semideus fuit, qui fuit equalis Deo. Nam Semideus est minor Deo, & aliqua tantum parte Deus. Is autem, qui est equalis Deo, tantus est, quantus ipse Deus. Neque potest torqueri hic locus, ut Paulus contrarium voluerit affirmare: nempe Christum non esse arbitratum, facere hanc rapinam, ut esset equalis Deo. Nam hoc est permutare, & peruertere verba Pauli. Non enim Paulus dicit, non arbitratus est facere rapinam. sed non est arbitratus rapinam esse, illam suam cum Deo æqualitatem, quam ex forma Dei habebat. Idque pulchre conuenit, tam cum præcedentibus, quam cum consequentibus verbis. Nam quia iam dixerat, Christum in forma Dei fuisse, non poterat negare Christo æqualitatem, sed tribuere. forma enim Dei non tollit æqualitatem, sed tribuit. Cum verò subiungit. Sed semetipsum exinaniuit, eo ipso indicat, ante exinaniuitatem fuisse, propter illam formam Dei, & æqualitatem cum Deo plenam diuinis perfectionibus. Rectè verò illa Aduersarij particula. (Sed) usurpatur à Paulo; Sensus enim est: Non rapinam arbitratus est, esse suam cum Deo æqualitatem, ac proinde non timuit ne humiliando se, illam in periculum aliquo modo adduceret: uti, qui rapina aliquid consequuntur, timere solent ne perdant, quia nullo iure possident, & ne minimo se periculo exponere audent. Atqui Christus nihil tale timuit, sed semetipsum exinaniuit. Denique ipsa antithesis Pauli sensum eius demonstrat: opponit enim formam Dei formæ serui, & æqualitatem cum Deo, similitudini hominum. hoc est, cum esset in formæ Dei formam serui accepit, cum esset equalis Deo, factus est similis hominibus: ita, ut duplici ratione ostendat Christum seipsum exinaniuisse: primum ratione formæ Dei, serui formam accipiendo, deinde ratione æqualitatis cum Deo, in similitudinem hominum factus.

Non igitur Semideus.

Defenditur locus ad Philip. de Christicum Deo æqualitate.

Christum æqualem Deo semper fuisse, ex capite quinto Ioannis demonstratur.

## CAPUT X.

Alterum

**A**LTERVM testimonium est, Ioan. 5. v. 18. Propterea ergo magis querebant eum Iudaei interficere; quia non solum soluerat sabbatum; sed & Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo. Teste igitur D. Ioanne. Christus Patrem suum vocabat Deum non quomodo docung; sed ita ut illi esset aequalis. Neque verò censendus est, referre opinionem Iudaorum (non enim opinionis Iudaorum ullam mentionem facit) sed facta, & dicta Christi commemorat, qua causa fuerant Iudaeis, ut illum interficere vellent, quòd & solueret Sabbatum, curando infirmos in Sabbato, & Patrem suum diceret Deum, eo ipso faciens se aequalem Deo. Et quamuis eam causam ex Iudaorum opinione referre voluisset; si tamen falsam, & minimè probandam putaret, id aliquo saltem verbo innuisset, ne vera esse crederetur. talis enim cautela in similibus, & quidem minoris momenti rebus adhiberi ab eodem aliàs consuevit. Ioan. 2. v. 21. Ioan. 21. v. 23. Nam quòd aiunt, quemadmodum non soluit Sabbatum nisi ex opinione Iudaorum: ita non faciebat se aequalem Deo, nisi ex eorundem opinione. Primò dico, Christum reuera soluisse sabbatum, ne habita ratione antiquarum traditionum Iudaicarum, qui nullum opus, ne curationem quidem infirmi, censabant licitam die Sabbati: ideoq; Christus in sua responsione non negat, se soluere Sabbatum, sed affirmat iure se illud soluere; ex eo quòd Pater eadem opera in die Sabbati operetur. hoc enim sibi volunt illa verba: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. licet reuera nec ipse, nec Pater solueret Sabbatum, ut erat à Deo institutum: Neg; enim talia opera Deus die Sabbati fieri prohibuit. Deinde etsi illud concederemus de die Sabbati: alia tamen est posteriorum verborum ratio. Nam Diuus Ioannes non solum ait, Christum se fecisse aequalem Deo; sed etiam simul ostendit causam, ex qua id profectum est, nempe quòd Patrem suum diceret Deum, quòd sicut verissimum fuit, ita & id, quòd ex eo sequebatur, nempe aequalitas illa cum Deo. Qui enim Patrem suum proprium (id est, id est, proprium, habetur in Græco) dicit Deum, proculdubio se eiusdem cum Deo naturæ, ac proinde Deo aequalem asserit. Neg; enim Pater proprius dicitur, nisi is, à quo quis naturaliter genitus est, ac ex consequenti, eiusdem est cum eo natura. Socinus, fol. 235. & Statorius fol. 411. & 180. in ea sunt sententiæ, ut censeant D. Ioannem ex mente sua asseruisse, Christum se fecisse aequalem Deo. Verum negant hanc aequalitatem fuisse omnimodam, nam licet in eo fuerit Christus aequalis Deo, quòd eadem opera, quæ Deus faceret, in eo tamen fuit inequalis, quòd Christus nihil ex se poterat, nisi ex dono,

Num ex Iu-  
deorum sen-  
tentia loqua-  
tur D. Ioan.

Christus  
quomodo  
sabbatum  
soluerit,

dono, & potestate Patris: quòd aiunt disertis verbis Christum in sua responsione asserere. Non potest, inquit, Filius a se facere quidquam, nisi quòd viderit Patrem facientem, quibus verbis omnimoda dependentia à Patre designatur.

At quantum hac in re hallucinentur hinc patet. Primò, quia inter se pugnantia loquuntur. Nam cum dicunt, Christum aequalem Patri, nolunt illum quidquam nisi iussu, & voluntate Patris posse. Sic enim sanctus diceretur aequalis Domino, cum omnia iussu, & voluntate Domini sui perficit. Quamuis enim eadem opera facit, quæ ipse Dominus facit: quia tamen non facit illa, nisi dependenter à Domino, idcirco non est absolute aequalis Domino. Non enim tam efficientia, quam independentia in efficiendo Dominum ostendit. Deinde malè colligunt ex Christi verbis hanc aequalitatem cum inequalitate. Tota enim vis responsionis Christi in eo est posita, ut ostendat se iure operari in die Sabbati, eo argumento, quòd Pater operetur in die Sabbati, idcirco se quoq; operari posse. Hec namq; illatio continetur illis verbis v. 17. Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Dicit autem Patrem operari in die Sabbati usque modo, id est, semper a principio mundi usque ad presentem diem, quia conseruat, & gubernat res omnes, ab initio mundi usque modo, etiam diebus Sabbati. Ita enim particula (usque modo) indicat non unum diem Sabbati, sed omnes ab origine mundi. Quomodo autem sequatur, si Pater operatur in die Sabbati, idem quoq; Christum facere posse: exponit, v. 19. & sequentibus; quia nimirum una est utriusq; & communis virtus, & operatio. Neg; enim quidquam Filius facere potest, nisi quòd simul faciat Pater; neque pater quidquam facit, nisi quòd similiter faciat Filius, quia igitur ambo sunt conserui in operando; Idcirco si Pater operatur, eo ipso quoq; Filium operari idem iure posse, imò & necesse est. Ex quo sequitur perfecta cum Patre aequalitas. Verum hoc magis patebit, si ipsa Christi verba expendamus. Ait igitur: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quòd viderit Patrem facientem. Vbi sanè non ait Christus: nisi quòd viderit Patrem, volentem, aut iubentem, aut ordinantem, sed facientem. Neg; etiam dicit: nisi quòd viderit Patrem ante fecisse, sed facientem: ita ut sensum verborum Christi hunc esse oporteat. Non potest Filius facere quidquam a se ipso, seu sine Patre nisi Patrem videat se cum simul operantem, & facientem, ita ut opera Christi sint simul opera Patris, & non minus à Christo, quam ab ipso Patre procedant. Non est autem dubium loqui Christum de operibus suis diuinis,

Aequalita-  
tem suam  
cum Patre  
probat  
Christus ex  
isdem utri-  
usque opa-  
ribus.

Quomodo  
Filius non  
posset face-  
re quid-  
quam a se-  
ipso.

non humanis: tum quia de iis operibus in Sabbato faciendis versabatur  
 questio: tum quia de humanis Christi operibus non est verum Christum ea  
 facere non posse, nisi viderit Patrem facientem, potuit enim ambulare,  
 comedere, loqui, & si Patrem non videret ambulans, comedens,  
 loquens, opera igitur Christi diuina sunt, illa quae videt Patrem fa-  
 cientem, suntque illi cum Patre communia; & quidem ita, ut nullum tale  
 opus prestare potuerit Christus, quod non viderit Patrem simul operan-  
 tem. Falsa igitur est expositio, quam Statorius cum Socino adferunt,  
 Filium nihil posse nisi potestate, & iussu Patris facere. Non enim dixit:  
 Nisi viderit Patrem iubentem, aut potestatem faciendi tribuentem; sed  
 facientem. aliud verò est facere, quam iubere, aut potestatem dare.  
 idque etiam ex sequentibus verbis patet. Quaecumque ille fecerit, &c. Quod  
 non nisi de actuali efficientia accipi potest. Eadem verò efficientia his  
 verbis exprimitur, quae immediatè antè fuerat nominata.

Hinc igitur consequitur, stante eo Verborum Christi sensu, nihil his  
 verbis derogari aequalitati Christi cum Patre. Tria enim videntur in his  
 verbis aduersarij. Primum, illud verbum. (Non potest.) Deinde &  
 illud aliud (A se.) Postremò (nisi viderit.) Et quidem prius illud non  
 designat potentiae aliquem defectum, quasi non habeat filius tantam vir-  
 tutem ad agendum, quanta opus est; sed rei impossibilitatem, sicut cum  
 dicitur: Deum negare seipsum non posse; quia id est impossibile. Propter  
 ea ergo Filius non potest facere quidquam sine Patre: quia una & eadem  
 est utriusque operatio, una virtus, una manus, una potentia. Qui autem  
 una manu, & una virtute agunt, necesse est, ut uno agente, alius quoque  
 agat, & alterum sine altero agere est impossibile. A se verò dicitur nil  
 facere Filius, non quia nisi ab alio iussus non agat; sed quia sine alio, hoc  
 est sine Patre non agat, quia quidquid agit, illud idem Patrem agere ne-  
 cesse est. Illud enim (A se) dicitur respectu eius, quod subiungitur, nisi  
 viderit Patrem facientem. Tunc enim ageret Christus à se, quando non  
 videret Patrem facientem, at quia nil facit nisi videat Patrem facien-  
 tem, idcirco à se nil facit. Opponunturque sibi haec duo, A se facere, & coo-  
 perante Patre facere. Quinquam non nego illud (A se,) non tantum  
 denotare sine Patre non agere, sed etiam ita cum Patre agere, ut Pater sit  
 quodammodo primus author actionis. A Patre enim Filius, tum essen-  
 tiam, tum omnem agendi vim accepit unà cum essentia. Et quamuis  
 agendi vis, cum dono tribuitur, faciat accipientem minorem, quia depen-  
 dentem: tamen, cum datur unà cum natura, nullam affert inaequalitatem  
 talis

Non potest.

A se facere.

talis enim vis agendi ipsi natura debetur. Iam quod dicitur, nisi viderit  
 Patrem facientem: non eo sensu accipiendum est, ut Filius consideret  
 Patrem, veluti exemplar quoddam ad imitandum propositum; sicut di-  
 scipulus opera Magistri habet pro exemplari, & similitudine, quam imi-  
 tando exprimat; id enim si ita esset, nullum opus diuinum facere potuisset  
 Christus, nisi prius Pater illud vel simile opus antè fecisset, illudque Filio  
 spectandum exhibuisset. At ubi obsecro Filius ante vidit Patrem cecos  
 illuminantem, mortuos suscitantem, & alia id genus opera miraculosa  
 edentem? Maxime cum in alio loco scriptum legamus: ea quae Christus  
 fecit miracula neminem ante ipsum fecisse. Ioan. 15. v. 24. Certè si Sancti  
 viri poterant edere miracula non conspectis ullis antè similibus miracu-  
 lis: qui possibile est, Christum solum nullum miraculum patrare potuisse,  
 nisi prius videret talis miraculi exemplar à Patre editum? Quinquam  
 ipsa Christi verba eam expositionem satis redarguunt. Non enim dixit,  
 nisi quod viderit Patrem antè fecisse; sed quod viderit facientem. Sensus  
 igitur est: Nihil potest facere Filius, nisi quod viderit Patrem unà secum  
 facientem. Hoc autem nullam inter Filium, & Patrem inaequalita-  
 tem ostendit, cum id non ex defectu, sed ex unitate virtutis, atque poten-  
 tiae oriatur. Patet igitur nihil ex ea tota Christi sententia colligi posse,  
 quod aliquam eius cum Patre inaequalitatem ostendat. Iam ad alteram  
 veniamus.

Non satis erat Christo dixisse. Nihil Filium facere sine Patre posse,  
 nisi etiam adiungeret. Quaecumque ille fecerit, haec & Filius similiter fa-  
 cit. Nullum igitur opus diuinum Pater facit, quod non faciat similiter,  
 id est, eodem prorsus modo, perfectione, potestate Filius ut pote Pater per  
 omnia equalis. Neg enim sensus est, Patrem prius opera sua diuina fa-  
 cere, & postea filium illis similia efficere, ut paulo ante probauimus: sed  
 quod eadem opera, quae facit Pater, Filius quoque unà cum Patre faciat.  
 Nam quemadmodum ante dixerat, Patrem cum Filio omnia eius, opera  
 facere, ita nunc dicit, Filium cum Patre omnia opera Patris facere, idque  
 simili ratione, quae Pater. Non dixit similia, sed, haec similiter, quia  
 illa ipsa opera Patris, similiter eadem perfectione, & modo, quo Pater fa-  
 cit. Nam quod Statorius exponit Filium facere haec eadem opera, non  
 quidem hac numero, sed hac genere, seu huius generis, id dici non po-  
 test; tum quia est alienum à mente Christi, qui de iisdem numero operibus  
 loquitur, ut iam demonstratum est; & sicut antè dixerat illa numero o-  
 pera, quae ipse faciebat, Patrem quoque facere; ita è conuerso Patris opera,  
 illa ea-

Nisi viderit  
Patrem fa-  
cientem.Filius simi-  
liter facit.

illa eadem numero Filium quoque, facere simili modo quo Pater: tum quia alioqui vera esse Christi verba non possent. Multa enim opera diuina facit Pater, quibus similia non faceret Filius. Nam usque modo creat animas singulorum hominum, neque Filius tanquam alius ipse si nihil creat.

Quod si velimus expositionem Aduersariorum admittere, & ea Christi verbis. Quaecumque ille fecerit, haec & Filius similiter facit. Non uniuersae de omnibus operibus Patris diuinis; sed solum de iis, quae per Christum à Patre fiebant, intelligere, tum sensus erit. Quaecumque diuina opera Pater per Christum fecerit, ea ipse Christus similiter, seu aequali potestate una cum Patre facit, ita ut de iisdem numero operibus, omnino intelligatur. Neque enim illa mirabilia opera, quae fecit Christus, prius vidit Patrem facientem, tum ad eius similitudinem alia fecit, ut ante dictum est. Vbi enim vidit Patrem mortuos suscitantem, caecos illuminantem, ut ad id deinde exemplar, & ipse mortuos suscitaret, aut caecos illuminaret? Sed illa ipsa opera, quae Pater in ipso faciebat, ipse quoque pari potestate eadem efficiebat. Id enim sibi vult vox illa: Similiter, quam etiam Christus explicat infra. v. 21. Sicut Pater iussit mortuos, & viuificat, ita & Filius, quos vult viuificat & v. 25. Sicut Pater habet vitam in semetipso, ita dedit & Filio habere vitam in semetipso. Ideo igitur similiter Filius facit, quia pari cum Patre potestate, & dominio. Ad summam enim potestatem duo requiruntur, facere propria voluntate, & propria virtute non dependendo ab alterius voluntate, & virtute. Filius igitur vtrumque habet: Nam sicut Pater quos vult viuificat, non dependendo ab alterius voluntate, ita & Filius. Et sicut Pater habet vitam in semetipso, hoc est plenam potestatem viuificandi, absque dependentia ab ullo, ita & Filius. Hoc enim est habere vitam in semetipso, non dependenter ab altero illam habere, sed propria, & independenti potestate. Et quia Filius pari cum Patre potestate est praeditus, ideo & Patrem honorem cum Patre sibi vindicat. Quod indicant illa verba v. 23. ut omnes honorificent filium, sicut honorificant & Patrem. Nam quod additur. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum, non eo sensu dicitur, ac si Filius solum propter respectum ad Patrem & tanquam legatus ab ipso missus honorandus sit instar aliorum Prophetarum, satis enim iam declarauerat parem in viroque potestatem esse causam paris honoris. Et de nullo Propheta dici potest deberi illi honorem sicut Deo, nisi a Deo missus sit. De Christo autem dicitur honorificandum esse sicut Patrem. Missio igitur commemoratur, ut missionis

Fili

Filij Maiestas indicetur, propter quam diuinus illi honor debetur. Missio vero eius est ipsius Incarnatio & Filium Dei hominem fieri, est mitti in mundum. Quia igitur Pater misit Filium suum in mundum sibi in potestate, & essentia aequalem, ideo qui non honorificat Filium non honorificat, & Patrem, qui e sine illum misit in mundum, ut ab omnibus honoreretur, ut Deus verus, & Dei veri Filius. Neque etiam verum est, quod Statorius cum Socino, ait diuinum honorem Christo deberi; sed non in eodem gradu, quo Patri. Nam, ut supra dictum, diuinus honor Deo, propter diuinam eius essentiam debetur, quae Christus si careat, honore diuino affici non potest: si habeat, integrum diuinum honorem habebit.

Iam respondendum est ad id, quod aiunt, in hoc esse Filium aequalem Patri, quod quemadmodum Pater operatur, ita & ipse, inaequalem autem esse, primo quia non potest a se facere quidquam: absurdum vero est Deum a se non posse facere quidquam. 2. Quia nil potest nisi quod viderit Patrem, facientem, hoc est, nisi quod faciendi potestatem, & iussum à Patre habuerit. Idem vero est, Filium videre Patrem facientem, & Filio à Patre demonstrari opera: hoc vero aliud est, quam operandi potestatem, & iussum Filium à Patre habere; quod enim illi demonstratum fuerit, hoc facit. Tercio. Addit Statorius. Filius omnem faciendi potestatem habet, & gratia, & dono Patris, quia enim Pater diligit Filium, ideo demonstrat ei opera, quae facit.

Ceterum haec nihil urgent. Nam si a leum modum: quo Pater operatur, hoc est, summa potestate, & independentia Filius quoque operetur, nihil in eo ad omnimodam cum Deo equalitatem desideratur: quid enim plus de Deo dici potest quam quod summam & independentem potestatem habeat? Illa vero tria non afferunt ullam inaequalitatem. nam ideo Filius dicitur non posse a se quidquam facere, quod sine Patre nil faciat & videt semper Patrem una secum operantem: propter unitatem voluntatis, & virtutis. Filium vero videre Patrem facientem, est scire Patrem una secum facere omnia. Et Patrem demonstrare Filio opera sua, est Patrem re ipsa exhibere Filio suo opera una cum ipso operando. Deinde cum dicitur Pater diligit Filium, & demonstrat ei quae facit: illi qui haec verba de Christo quae Deus est, exponunt, directionem signum esse, non causam demonstrationis interpretantur. At alij probabilius de Christo Deo exponunt, ut per humanitatem, tanquam per coniunctum organum operabatur. Tunc ergo verborum Christi hic sensus erit, ut Filius nullam diuinam opem per humanam suam naturam faciat, nisi cuius faciendi

Quomodo  
Pater de  
monstrat  
Filio opera  
sua.

Probabilis  
Christi ver-  
borum ex-  
positio.



ciendi Patrem authorem habet, eamque videat secum una facientem. Quaecumque enim opera diuina Pater per humanam eius naturam facit; ipse quoque Filius similiter, hoc est, pari cum Patre diuina potestate facit. Illa enim opera, quae per humanam naturam faciebat, diuina virtute, quae illi cum Patre communis erat, praestabat; atque idcirco similiter, hoc est, pari cum Patre potestate faciebat. Et quia pater unice diligit Filium, ea dilectio causa est, ut illi demonstret omnia, quae facit. Ab initio enim suae conceptionis Christus homo vidit Deum, & ex consequenti, vidit omnia ea Patrem facientem, quae in illo diuina virtute fiebant. Patet igitur non idcirco solum Filium dici aequalem Patri, quod eadem, quae Pater, opera faceret; sed praecipue quod similiter, hoc est, aequali cum Patre potestate ea faceret: ut ex eo intelligamus absolute Filium esse aequalem Patri, tum in potentia, tum in essentia. Potentia enim in Deo cum sit ipsa eius essentia, non potest Filius aequalis esse potentia cum Patre, nisi sit eiusdem essentia.

Vnum hoc loco restat soluendum, quod Socinus obiecit. Nemo sibi ipsi aequalis esse potest, si ergo Christus sit idem Deus cum Patre: sequitur Christum sibi ipsi aequalem esse. Respondeo. Christum non sibi, sed Patri aequalem esse, cum quo licet sit idem essentia, non tamen idem est persona, utrumque Christus expressit illis verbis. Ego & Pater unum sumus, unum ad naturam sumus ad personarum distinctionem referens.

Quomodo Christus post Resurrectionem dicitur factus Dominus.

### CAPVT XI.

**P**recipuum suae causae presidium collocant Aduersarij in eo, quod Christus post Resurrectionem dicitur factus Dominus. Ex eo enim inferunt ante Resurrectionem plenum, & integrum dominium non habuisse. Immerito sane. Neque enim in eo sensu dicitur post Resurrectionem factus Dominus, quod ante Dominus non fuerit. Fuit enim & quae Deus, & quae homo, plenissime Dominus: neque aliquid erat, quod ab eius summa potestate excluderet, sed alia duplici de causa. Primum, quod sui dominij, ac potestatis usu, ac executione libens, & volens ante caruerit. Quamuis enim eandem potestatem antea haberet, quae omnia posset in caelo, & in terra; tamen eam potestatem dissimulauit apud homines, & sponte seipsum nostri causa exinaniiuit, atque ad eam vitam

Christus post mortem Dominus factus quo ad executionem dominij.

rationem deiecit, ut incognitus, & in gloriosius inter homines degeret, Dominus sine subditis, Rex sine Regno, Deus sine honore. Post resurrectionem porro, regni, & Dominij sui possessionem palam, & manifeste adiit, subiectis suae potestati, hominibus, Angelis, Demonibus, ut omnis lingua confiteretur illum Dominum, & debitam illi subiectionem, atque honorem praestaret. Nam quemadmodum si quis hereditarius, & naturalis Dominus, multo tempore sui regni possessionem non accipiat, vitamque degat sine subditis, & honore regio, cum post modum in possessionem sui proprii, & naturalis Regni inducitur, & a suis subditis in Regem accipitur, Rex esse de facto incipit, non quod iure Regni ante caruerit; sed quod tum primum in possessionem Regni venit, & Rex ab omnibus recognoscitur, ac honoratur: ita Christus, naturalis Dei Filius, omnium honorum Patris sui legitimus haeres in caelo, & in terra, toto quidem vitae suae tempore hanc suam hereditatem non adiit, sed extra suum Regnum caeleste, in terris, quasi in exilio quodam positus, vitam arumnis plenam egit, obsequia sibi debita hominum, & Angelorum sponte respuens, gloriamque & honorem omnium fugiens. Cum vero a mortuis resurrexisset, tum primum se Dominum caeli, & terrae ostendit, & in Regnum suum ingressus est possessionemque hominum, & Angelorum accepit; eamque ob causam cepit esse omnium Dominus. Et si enim ante fuerit Dominus quo ad summam potestatem, quam semper habuit: tamen quo ad potestatis actum, & executionem, primum post Resurrectionem cepit esse Dominus, usum quidem aliquem suae potestatis ante habuit, rebus aliquibus creatis imperando: uniuersae tamen potestatem suam non exercuit in omnes res creatas in caelo, & in terra, non quod non potuerit: sed quod ex humilitate, & salutis hominum causa noluerit. Cum enim in forma Dei esset aequalis Deo exinaniiuit semetipsum. Id vero dominio Christi nihil derogat, neque Christum Semidominum facit. Dominus enim magis dicitur a potestate, quam ab actu dominandi. Si enim quis ius, & potestatem plene habeat, qua quoties uti velit possit, vere Dominus is erit, etiamsi potestatem suam non exerceat, neque ea utatur. Idem in aliis quoque rebus fieri videmus. Cum enim res propria Domino aufertur, & si possessione, & usu rei illius Dominus careat, non tamen caret Dominio potestatis, pro re illa recuperanda, tanquam verus Dominus contra iniustum possessorem agere, & iure suo illam recipere. Nec si quis legitimus Regni haeres a Regno pellatur, usque ac possessione Regni iniuste arceatur, continuo ius ac dominium Regni sui amittit, ac verus Rex, & Dominus esse desinit.

Poteris

Christus non est versus suo dominio in vita.

Dominus magis a potestate quam ab usu dicitur.

rationem

Poterit enim iure suo & Regnum adire, & subicere rebelles sue potestati, vimque ac iniuriam ferro, & armis vindicare. Cerè Deus, non tum solum censeatur esse hominum Dominus, cum in eis regnat, eosque ultra subiectos gubernat; sed etiam tum, cum rebelles sunt, eiusque imperium, & dominium respuunt. Christo, Paulus ait, nondum subiecta esse omnia, neque tamen propterea Christum quis Dominum, & heredem uniuersorum esse inficiabitur. & si enim ab eius potestate multi se eximant, ipse tamen in omnes potestatem habet, ac suo imperio adigere illos potest, ut sibi obtemperent, ac subiciantur. Summa rei est. Dominium iure, & potestate precipue non actu dominandi contineri, maximè si actu Domini quis careat sua voluntate, non aliena vi, aut necessitate. Actus etenim domini, ad effectum potius domini, quam ad essentiam pertinet. & sicut Agentia naturalia non tum solum cum agunt, sed etiam cum non agunt, dummodo potestatem omnem agendi in se habeant, Agentia dicuntur: ita, qui plenam Domini potestatem habet, Dominus est, etsi ea potestate ad tempus non utatur. Quapropter & Christus verè Dominus omnium fuit, etsi potestate sua uniuersè in omnes vi ante resurrectionem noluerit, fuisse de iure semper Dominus, & si de facto ceperit esse Dominus post Resurrectionem. Sic enim scriptura hoc dominium post Resurrectionem obtentum explicat, quod tunc ab omnibus agnoscebat Domino, & coli ceperit, & in omnes manifestè potestatem suam exercere, ut ex iis, que mox afferemus, patebit.

Novo titulo factus p. & Resurrectionem Dominus.

Alteram causam Theologi adferunt, cur Christus post Resurrectionem dicatur factus Dominus. Et si non plenam potestatem in omnes ante Resurrectionem habuerit, & qua homo, tamen passione sua, & morte novum ius, & potestatem obtinuit, & novo titulo, ac ratione Dominus omnium esse cepit. Potest enim eadem potestas diuersis ex causis plenè, & integrè obtineri. Si quis enim Regnum proprium quod iure hereditario sibi debetur, armis, & ferro ab iniusto possessore, aut Tyranno obtineat, is duplici iure Dominus Regni sui erit, & belli iure, & hereditatis: ita ut si alteruter titulus deesset, alter plenè sufficeret. Christus igitur, etsi quia Dei filius, iure hereditatis Dominus uniuersorum esset, a primo sue conceptionis tempore: quia tamen sanguine suo, & morte genus humanum redemit, iterum nouo quasi iure, suprema in omnes potestate, & Dominio à Deo donatus est, eaque propter meritò tum Dominus factus dicitur, quod ille omnes scripturae indicant, que Christum Dominum esse factum, & potestatem, ac honorem illi tributum, passionis & mortis eius

eius respectu affirmant. Phil. 2. v. 9. Heb. 2. v. 9. Apo. 5. v. 12. Cum enim men alie scripturae eum ante mortem fuisse plenè Dominum, satis aperte testantur.

At enim excipiunt Aduersarij Christi Dominium non plenè ante mortem fuisse, eò quod non omnibus; sed quibusdam tantum rebus imperauerit. neque enim in Angelos plenam habuit potestatem: cum hi post Resurrectionem primùm ei subiecti fuerint. Eph. 1. v. 21. 1. Petri 3. v. 23. neque in Demones. cum ad Hebr. 2. v. 14. dicatur, per mortem destruxisse eum, qui habebat mortis imperium, id est, Diabolum. Neque in mortem, quia scriptum est, 1. Cor. 11. v. 26. Nouissima autem inimica destruetur mors, id quod futurum est, in extremo iudicij tempore, cum corporibus immortalitate donata, mortis imperium prorsus euanesceat. Deinde Christi (inquiunt) Dominium positum est in sessione ad dexteram Patris, in exaltatione super omnem principatum, & potestatem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; & in omnium sub pedibus Christi subiectione. Hec verò omnia, non nisi post Resurrectionem est adeptus.

Iniusta sanè exceptio. Dominium enim non tam actu imperandi, quam potestate definitur. Et si igitur Christus ante mortem non omnem actum imperandi sibi vendicauerit, quod statuerit humilem, & abiectam vitam nostri causa ducere, & dominium suum, ac potestatem tantis per dissimulare. tamen potestatem, quia omnibus rebus imperare si voluisset potuisset, habuit. Hac verò potestate domini essentia, ut dictum est, continetur. Fuit ergo Christus ante mortem plenè Dominus: quia nihil in mundo fuit, quod potestatem eius excederet, nihil illi impossibile fuit, nihil arduum. Quapropter qui impetraturi sanitatem ad Christum accedebant, ea precesatione utebantur: Domine, si vis, potes, ut ad faciendum non potestate, sed voluntate tantummodo opus esse censerent. Neque ulli unquam licuit de Christi potestate, quantumuis magna res esset qua peteretur, dubitare. Angelos, etsi post Resurrectionem de facto subiectos habuit: tamen ante mortem quoque illi de iure Christo erant subiecti. Nihil enim est, quod Angelis precipere non potuerit, neque Christi imperium Angeli in uellare detrectassent. Quanquam tum neque gubernationem, neque ministeria Angelorum sibi in uniuersum vendicabat; sed eam gubernandi prouinciam in cælum profectus, & sedens ad Patris dexteram primum palam & publicè assumpsit. Tunc enim manifestè, ut Rex in regnum ingressus Angelis præesse cepit; & Rempublicam Angelorum, &

Ariani negant Christo plenum dominium

De potestate Christi nullus dubitauit.

hominum in unum ordinem redegit, ruinas Angelorum, ex hominibus restaurando, & ministeria, ac officia singulis prescribendo, maxime circa hominum procuracionem, & salutem. Non potest autem recte concludi, ex eo quod à gubernatione publica Angelorum iustis de causis abstinuerit, ipsum Dominum Angelorum non fuisse. Non enim ob defectum potestatis, sed ex arbitrio voluntatis ea gubernatione supersedit. Pari ratione, etsi decreuerit per mortem destruere eum, qui habebat mortis imperium; ante mortem tamen potestatem, qua id efficeret, habebat. Neque enim tum primum Rex in rebelles potestatem acquirit, cum eos expugnat; sed ante expugnationem ius, & potestatem, qua illos sibi subiicere, & subiugare possit, habet. Neque Iudex cum reum damnat, & morti addicit, potestatem iudicis acquirit; sed potestate ante habita tunc utitur. Et quamuis in hominibus dominium censetur imperfectum, quum id quod iure sibi debetur non obtinent, eoque non habent potestatem, & vires ad ius suum vindicandum: tamen in Christo id locum non habuit: qui non solum ius plenum in omnia habuit; sed & potestatem summam ad inimicos suos coercendos, & subiugandos. Neque in mortem minus potestatis habere censendus est Christus: eo quod nondum mors penitus destructa nec immortalitas corporibus donata. Hoc enim non ex aliquo potestatis in Christo defectu; sed ex voluntatis beneplacito proficiscitur. Potuit enim si voluisset Christus statim corporibus nostris immortalitatem tribuere, nosque à morte suscitare, uti in proprio corpore fecit: voluit nihilominus id ad nouissimum Iudicij tempus differre, ut una omnibus simul corporibus immortalitas, & gloria concederetur, iudicis summi sententia, ac publico decreto.

Iam quod ad alterum argumenti partem attinet. Fateor illum esse dominij Christi nobilissimum veluti ad dexteram Patris, pari cum Patre gloria, omniumque rerum sub pedibus Christi subiectione. At dominij essentia, nequaquam illo actu continetur: sed potestate, qua hunc honorem sibi vindicare iure potuit, etiam antequam caelestem illam gloriam consequeretur. Est enim actualis illa honoris, & gloria possessio, fructus, & effectus quidam summi illius Dominij, quo Christus praeitus est quoque omnes obligare semper potuit, ut sibi subiicerentur, & diuinos honores deferrent. Et si igitur actualem hunc honorem, & gloriam ad dexteram Patris ante mortem non habuit, non tamen ea propter imperfectum dominium tunc habuit, cum perfectam habuerit potestatem, id sibi cum vellet vindicandi. Tunc enim sine dominio actuali quis censetur imper-

Honorem  
dominii  
post mor-  
te adeptus  
est.

imperfecte Dominus, quando non potest, etiamsi velit dominio actuali potiri. At cum quis ex mera voluntate à dominio actuali abstinere iustis ex causis, cum aliis, si velit, possit illo, nullo negotio uti: id nihil perfectioni dominij praeiudicat: alioqui diuino quoque dominio aliquid de perfectione hoc modo decederet, cum is actu in malis non regnet, nec honorem sibi debitum ab eis accipiat: siquidem illos rebelles sibi habeat & non subiectos.

Expenditur locus ad Philipp. de Christi exaltatione.

CAPVT XII.

PLVS equo urgent Aduersarij locum Pauli ad Philippenses, in quo de Christi exaltatione loquitur Apostolus in hunc modum: Propter quod exaltauit illum Deus, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Iesu omne genu flectatur. Primam igitur vim faciunt in verbo, Exaltauit. Exaltari enim non potuit, qui semper fuit altissimus.

At non vident isti exaltationem Christi à Paulo eiusdem humiliatiori opponi. Quia enim se humiliauerat, in humana natura, ideo est exaltatus. Porro humiliatio Christi non in eo posita fuit, quod Deus esse deserit. Erat enim etiam tunc, cum se humiliabat, & cum moriebatur, in forma Dei aequalis Deo, ac proinde altissimus: ut hoc ipso loco Paulus commemorat, neque unquam Deus esse desinit, aut Filius Dei, cum etiam in cruce Dominus gloriae fuerit. 1. Corinth. 2. Sed in eo consistebat Christi humiliatio, quod cum dignitate esset altissimus, externo tamen habitu, ac specie infimus, ac minimus esse voluit formam Dei in forma serui occultans, & se ad mortem usque crucis demittens. In his enim duobus exaltationem Christi hoc loco collocat Paulus. Pari ergo ratione exaltatio Christi in illa exterioris gloria, & honoris collatione consistit, quam Paulus explicat, partim nominis super omne nomen celebritate, partim adoratione, & curuatione omnis genu, partim confessione gloriae Christi, ab omni lingua: quae omnia nil nisi exteriorem Christi gloriam continent, quae quia se pro nobis priuauerat in vita & morte, idcirco ad eam Dei virtute & dono euectus est in Resurrectione. Sic igitur qui altissimus erat diuinitate, sed humilitate infimus, exaltatus est ad illam maiestatem, & gloriam; quae se per humilitatem sponte priuauerat. En habent Aduersarij, quomodo is, qui erat dignitate altissimus, sed externo habitu; &

Christus & si altissimus esset exaltari potuit humanae naturae respectu in qua se humiliauerat

Exaltatio Christi in nominis celebritate consistit.

omnis honoris abiectione vilissimus, ad summum honorem euectus, & exaltatus est. Et si enim qua altissimus exaltari non potuit, nihil enim Deo altius esse potest, tamen qua infimus, & abiectissimus propria voluntate factus per abdicationem omnis honoris, exaltari potuit, & debuit: ita ut tota haec exaltatio, non ad diuinitatis communicationem, sed ad summi honoris, & gloria donatorem pertineat. Perperam igitur Aduersarij ex hoc loco concludunt diuinitatem Christo in hac exaltatione tributam. Nihil enim in hac Christi exaltatione aliud Paulus commemorat, quam honorem maximum Christi: qui ut illi ab omni genu, & lingua impenderetur Dei dono, & virtute effectum est. Aliud autem est honor diuinus, aliud ipsa diuinitas. Et si enim Deus semper suo honore sit dignissimus; non tamen semper is actu ab hominibus Deo tribuitur. Et licet nulli possit diuinus honor deferri, nisi diuinitatis respectu, honoris tamen illa attributio, aut participatio non est ipsa diuinitas, in quo hallucinantur turpiter Aduersarij. Aiunt Christum exinanuisse seipsum, formam Dei, & equalitatem cum Deo deponendo. At id non ait Apostolus. Cum enim dicit, Exinanuisse seipsum, statim adiungit modum Exinanitionis; Formam serui accipiens. non igitur formam Dei deponens, sed Formam serui accipiens, & in ea Forma occultans, seipsum exinanuit, alioqui Christus in cruce non fuisset actu Filius Dei, si Dei formam abiecit, aut certe Deus sine forma Dei fuisset, etsi enim Aduersarij Formam Dei opera diuina, quibus se similem Deo ostendebat intelligant: tamen neque hanc quidem formam deposuit Christus in cruce, tum quia haec forma ex ante actis operibus diuinis in Christo relucebat: tum quia etiam tum aliqua diuina opera faciebat. Nam & Malco diuina virtute auriculam restituit, & eo pendente in cruce, tot mirabilia in Caelo & in terra facta sunt. Et Centurio videns quod magna voce expirasset, confessus est illum Filium Dei, & Latino Dei formam in eo tum agnouit; cum Regnum caelorum ab ipso petiit, & obtinuit.

Fol. 133.

Pergit Socinus. Qui fieri potuit, ut Christus exaltatione indigeret, ab alio praesertim petenda quam a semetipso. Deus enim aliena ope non indiget.

Proculdubio verum est Deum aliena ope non indigere. Verè enim de Deo à Propheta dicitur. Deus meus est tu, bonorum meorum non eges.

Christus à Patre exaltari voluit ex causa.

Quare nec Christus, quia Deus erat, aliena ope eguit. sed quia homo, exaltatione indiguit. Cur verò à Patre illam accipit, qui eam sibi ipse conferre potuit? Primum, quia eadem est Patris, & Filij virtus, & operatio: & quae-

& quacumque Pater facit, haec & Filius similiter facit. Ioan. 5. Ergo accipiendo illam à Patre simul à se ipso illam habuit, cum eadem sit utriusque operatio. Deinde, quia in more id habuit Christus, ut quoties diuinum quid esset praestaturus, id à Patre postularet, vel alia ratione Patri operis illius effectum deferret: ut sic ab omnibus intelligeretur, non ab humana; sed diuina praecipue virtute illud opus profectum esse, etiamsi certum esset, illud ipsum opus à Christo effici potuisse ostendit id vel unicum Lazari resuscitati exemplum. Habebat enim proculdubio Christus virtutem, quos vellet à mortuis suscitandi, sicut & Pater, eamque in se agnouit Ioan. 5. v. 21. cum diceret. Sicut Pater suscitatur mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult, viuificat. Hoc tum non obstante: Patrem deprecatus est pro Lazari resuscitatione. Ioan. 11. v. 42. ubi etiam cur id faceret, eam rationem reddit. Ego inquit sciebam, quia semper me audis; sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Sicut igitur tunc Patri deferebat, ut ostenderet se à Patre missum, ita & in aliis operibus diuinis hoc summe intendebat, ut illa opera à Deo perfecta intelligerentur. Denique fuit ea voluntaria Christi submissio, qua se hominem totum cura & prouidentia Patris subiecit: ut sicut ipse suis operibus obedientia, humilitate, morte, Patrem clarificauit in terris: ita vicissim à Patre clarificaretur in caelis. Ita enim ait. Ioan. 17. v. 5. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud te metipsum. Non igitur fraudi esse debet Christo, quod ipse sponte suscepit; non quod non potuerit, eum honorem à se habere erit habere à Patre, propter suam ad mortem usque obedientiam.

Socinus. Quid magis insulsum, aut nugatorium, quam affirmare illum unum Deum pro premio suae demissionis id habuisse, ut agnoscerentur qualis erat? Dicimus id, neque insulsum, neque nugatorium esse; sed maxime Christo gloriosum. Non enim simplex, & nuda agnitio Christi, data est illi in premium; sed cum subiectione omnium creaturarum, & honoris impensione: quod maxime fuit Christo gloriosum. Neque enim dicimus, homines tantum scire debuisse Christi maiestatem; sed ei se subijcere, et curuare genu, & lingua diuinas eius laudes predicare. Quod si non est nugatorium cum Deo pro omnibus eius in nos beneficiis offerimus veluti in premium, laudes, confessiones, cultus: qui erit nugatorium, si haec omnia Christo in premium laborum ipsius donata sunt.

Secundo. Vim faciunt in illis verbis: Donauit illi nomen super

omne nomen. Hinc enim inferri putant nomen Dei, quod solum est supra omne nomen donatum esse Christo post Resurrectionem, atq; ex consequenti, donatum esse diuinitatem: neq; enim nomen solum sine re donari potuit.

Donatum Christo nomen super omne nomen. Non quod ante non habuerit. Sed ut nomen opus esset super omne nomen.

Verum, sicut putant Aduersarij Christo post Resurrectionem primum impositum esse nomen aliquod, quod esset super omne nomen, errant, & D. Pauli mentem non assequuntur. Nullum enim nomen post Resurrectionem datum est Christo, quod ante non habuerit. Præcipua Christi nomina sunt, Deus, Filius Dei, Iesus Christus. Hæc autem semper Christum habuisse manifeste constat, neque aliud nomen cogitari potest, quod sit Christo in Resurrectione impositum: neque de tali nominis impositione Paulum agere satis liquet. Quod si donatum esse Christo dicant, ut nomen ipsius esset super omne nomen; seu ut summo honore, præ omni alio nomine habeatur in Cælo & in terra: Primum tota Aduersariorum argumentatio ruet. Non enim Dei nomen, sed eius nominis celebritas, & honor in toto mundo donata sunt Christo, ac proinde inferri ex eo non poterit, donatam esse Christo diuinitatem, quod inferrebant Aduersarij. Deinde neque id donatum est Christo, ut nomen eius in seipso cæperit hanc dignitatem, præ alio omni nomine habere. Semper enim Christi nomen erat super omne nomen excellentissimum, neque ullius, vel Angeli, vel hominis nomen poterat cum Christi nomine comparari. erat enim Dei, & Filij Dei nomen, quod dignitate sua omne nomen antecellit. Quare Diuus Ioannes Christum etiam ante mortem fuisse super omnes affirmavit, Ioan. 3. v. 31. Qui de cælo venit, super omnes est. Et id ipsum hoc in loco Paulus indicat, cum ait, Christum ante mortem in forma Dei æqualem Deo hoc est super omnia fuisse. Deo enim æqualem esse est æque super omnia esse ut Deum. Id ergo quod Christo donatum est in Resurrectione, est nominis in toto mundo celebritas; ut nomen ipsius esset toto mundo celeberrimum, & ab omnibus summo honore haberetur. Ita enim hoc explicatur à Paulo verbis consequentibus. Ut in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur. Hoc est igitur Christi nomen esse super omne nomen, in nomine eius omne genu flecti, & omni lingua prædicari. Quocirca per nomen, non tam ipsa vox est intelligenda, quam res ipsa per nomen significata: neque enim nominis adoratio, & prædicatio donata est Christo; sed ut ipsi Christo omne genu flectatur, & omnis lingua illi confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Dei Patris; hoc est, eandem, quam Deus Pater gloriam habet. Non enim maiorem Deus

Quomodo Christus est in gloria Patris.

Pater

Pater gloriam in mundo habet, quam quod illi omne genu flectitur, Cælestium, terrestrium, & infernorum, quam gloriam habet cum Christo communem. Ut igitur uno verbo concludam. Honor summus Christo donatus est in toto mundo, cum donatum est illi nomen super omne nomen; ut nihil in mundo sit Christo honoratius, & excellentius.

Meritò autem dicitur hoc nomen ab ipso Deo donatum; siquidem Christus suis operibus in honorem Dei Patris impensis Deum Patrem obligauerat, ut sibi vicissim honorem in toto mundo haberi decerneret; quem admodum ipse tota vita sua honorem maximum Patri fieri procurauerat. Et quamuis hunc honorem solo titulo Dei, & Filij Dei vendicare sibi poterat, placuit tamen cum titulo suæ passionis, & mortis accipere, cum ad eum finem, totam vitam suam, & mortem retulerit. Quocirca propter passionem, & mortem, Paulus ait, Christum gloria, & honore coronatum: non quod propter passionem factus sit Deus; sed quod passione sua id promeruit, ut ei vel eo maximè nomine diuinum honorem sibi, alioqui debitum omnes deferrent. Etsi enim nihil passus fuisset, dignus esset omni honore diuino tanquam Deus verus, & Dei veri Filius: postquam tamen passus est, nouo iure, & obligatione idem ipsi debetur; quos enim tanto beneficio affecit, ut pro illorum redemptione mori voluerit; ab illis meritò sibi debitum honorem exigere potest.

Ait Socinus: Quid Christo donari oportuit, si erat ipse Deus, & in sua manu, & potestate habebat omnia? Respondendum est Christo homini donationem factam quamuis autem idem homo, esset etiam Deus, potuitq; ex plenitudine suæ potestatis eum honorem suæ humanitati conferre, seu facere, ut ab omnibus conferretur: tamen quia sua passione, & morte Deum Patrem, ut dictum est, ad id obligauerat, voluit eum de manibus, & dono Patris habere, ut vicissim à Patre honoraretur, quem admodum ipse Patrem honorauit. Quam rationem expressit ipse Christus. Ioan. 17. v. 4. Quapropter id non ex potestatis aliquo in Christo defectu, sed ex diuina Christi consilij ratione, & eiusdem beneplacito processit. Nihil enim impedit, ut tamen si quis rem aliquam uno titulo iure occupare possit, velit tamen eam habere meritorum respectu ex donatione alterius. Possunt enim esse multe causæ, & rationes rem aliquam habendi.

Tertio. Vim faciunt in illis verbis: ut in nomine Iesu omne genu flectatur, Cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus est in gloria Patris. Hinc enim inferunt post Resurrectionem impositam fuisse obligationem omnibus Christum adorandi,

Quomodo Christo donari aliquid potuerit.

randi, & confitendi. Hanc enim obligationem significant illa verba, *Flectatur, Confiteatur.* Non enim possunt de actuali flexione accipi: cum satis constet non omnes Christo genua flectere, nec omnes Christum confiteri. Necessse est igitur de obligatione flectendi, & confitendi intelligi. Cum igitur ante Resurrectionem non esset ulla obligatio Christo genua flectendi, & ipsum adorandi: consequens est Christum ante Resurrectionem perfectam diuinitatem non habuisse, diuinitatem enim adoratio consequitur. Ita Statorius.

Christo a-  
ctu flecti-  
tur omne  
genu.

At primum in hoc errat Statorius, quod non de actuali adoratione verba Pauli interpretatur: cum satis per se constet, non id solum datum esse Christo in premium laborum suorum, ut omnes illi teneantur seruire, & genua flectere; sed ut actu seruiant, & genua flectant. Quid enim commodi accedet Christo, si solum teneantur, & actu non present? Nam & ante mortem omnes tenebantur Christum Dominum suum, & confiteri, & colere: id enim ipsa Dei, & Domini dignitas ab omnibus exposcebat; at quod tunc non exhibebatur, factum est, ut deinceps actu exhiberetur. At non omnes (inquit) modo Christo genua flectunt. At primum id non est, necesse accipi de singulis hominibus; sed de omni hominum genere; nempe ut omnes gentes, populi, tribus, & lingua Christum adorent. His enim, & similibus dicendi formis, ea gloria Christo promissa in sacris literis reperitur, ad quem etiam modum dicitur: A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini; etiam si non singuli omnino laudent nomen Domini. Deinde si de singulis accipere velimus, & hoc ipsum Christus consequetur, sed suo tempore. Nam qui in hac vita Christo genua non flexerunt, flectent proculdubio die Iudicij. Ita enim Paulus id futurum predicat. Rom. 14. v. 11. Omnes (inquit) stabimus ante Tribunal Christi. Scriptum est enim, viuo ego dicit Dominus: quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.

Ante mor-  
tem erat  
obligatio  
Christo ge-  
nu flecti-  
tur.

Errat secundo Statorius cum asserit: Ante Resurrectionem nullam fuisse obligationem Christo genua flectendi, verum id liberum, & bonum, non necessarium fuisse. Nam si ante Resurrectionem Christus verus Deus, & Dominus omnium hominum, & Angelorum cum plena in omnes potestate; proculdubio omnes erant obligati: ut illum tanquam Deum & Dominum colerent. Etenim solus Dei, & Domini titulus sufficiens est ad obligandos subditos, ad debitam illi venerationem, & cultum prestandum, neque enim subditus nouo precepto indiget, ut Domino suo obtemperet; sed ipsa Domini potestate, dignitate, & sua subiectione, satis

ad id

ad id adstringitur sine nouo mandato. Quod si subditus ignoret aliquem esse suum Dominum, non idcirco a subiectionis debita, obligatione liber existit: sed ignorantio solum a peccato illum excusat, non a subiectionis debito. Est enim verum in ipso debitum subijciendi se Domino suo, licet ignoratur. Quare postquam ei constiterit fuisse verum Dominum, simul & constabit fuisse obligationem, illi se subijciendi, ad eum modum, quo debitor agnoscendo debitum quod ante ignorabat, non tunc primum debitor esse incipit cum cognoscit, sed ante etiam debitor erat, cum se debitorem non agnoscebat: excusabatur autem tum a culpa non reddendi, ignorantione debiti. Summa igitur rei est; Aut Christus ante Resurrectionem non fuit omnium Dominus, aut si fuit, concedere oportet omnes obligatos fuisse, ut illi se subijcerent, & honorem debitum deferrent. Etsi namque per multam eam obligationem ignorarent, tamen Christus diuinam suam potestatem in omnes exercere potuit, omnes igitur illi erant subiecti, & iure subiectionis ad illi obtemperandum adstricti. Pater enim omnem suam potestatem tradidit Filio, nec quidquam ab eius potestate exceptit, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Nam si toto vite sue tempore erat equalis Deo, parem profecto cum Deo potestatem habuit, qua omnibus hominibus, & Angelis imperare potuit. Et quidem de hominibus res est manifesta, illos diuinae Christi potestati ita subiectos fuisse; ut sub amissione vite aeternae parere illi in omnibus essent adstricti, ipsius Patris mandato: Hic est Filius meus dilectus ipsum au dite, & Ioan. 12. v. 48. Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Ioan. 17. Hae est vita aeterna, ut cognoscat te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Quare sicut poterat Christus obligare homines, ut crederent in ipsum, & alia mandata eius reciperent, ita & ad debitum cultum sibi prestandum. Quem etsi ille actu non semper exigeret, quod diuina eius maiestas nondum omnibus pateret, homines tamen obligati semper erant, postquam Dominum gloriae cognouissent, debitum illi honorem exhibere. De potestate in Angelos dubitari non potest, quod eam Christus tota vita sua habuerit tantam, ut quoties voluisset, imperare illis potuisset. Indicat id illa pars cum Deo Patre potestas, quam scriptura predicat, & omnis potestatis a Patre traditio: & quod non hominum, sed & Angelorum Dominus esset, neque enim Pater aliquid a potestate Filij excepit, cui omnem potestatem tradidit. Maxime cum ea potestas in Angelos Christo iure suo deberetur, utpote, qui eius ad salutem humanam procurandam, ut Ministris, uti debuit: quare quem admodum salutis hominum cura, ita & Angelo-

Propter eo-  
ius cu Deo  
aqualita-  
tem.

Potestas  
Christi in  
hominibus

In Angelos

I

Angelo-

In Demo-  
nea.Mandatum  
Angelis ut  
adorarent  
Christum.Orbis terræ  
futurus.

Angelorum ministeria ad Christi potestatem pertinebant. Nam quod post Resurrectionem dicitur sibi Angelos subiecisse, id non eo spectat, quasi ante deure non essent illi subiecti, sed quod tum primum peculiari ratione eorum administrationem suscepit, eosque actu sibi subiectos fecit; singulis eorum sua officia prescribendo, & eos ad nouam Reipublica formam, & ordinem redigendo. Denique, quod spectat ad Demones, res est clarior, quam ut probatione habeat opus. imperio enim suo, & potestate Demones non semel coercuit, qua verò potestate quibusdam imperauit; eadem alii quoque imperare potuit. Porro insignis locus est apud D. Paulum Hab. 1. v. 7. ubi diuinum mandatum commemorat Angelis factum: ut Christum in hunc mundum venientem, tanquam Deum, ac Dominum suum adorarent. Ita enim habet: cum iterum primogenitum introducit in orbem terra, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dsi. Nam quod Aduersarij exponunt, locum hunc de inductione Christi in caelum, quod caelum dicatur orbis terra nouus: id verò minimè admittendum est, cum caelum nunquam orbis terra absolute dicatur, nisi cum adijcitur aliquid aliud, ex quo alius orbis terra Memphoricus intelligatur. ut cum dicitur, orbis terra nouus, vel futurus. Quemadmodum in capite 2. facit Apostolus, cum de subiectione orbis terra futuri loquitur. Non enim inquit Angelis subiecit orbem terra futurum, de quo loquimur. Ineptè verò Aduersarij eam adiectionem ad alias quoque Pauli sententias que in capite Primo antecedunt, trahunt. Nam si de eadem re in utroque capite ageret Apostolus, æquum forte esset adiectionem illam ad utrumque caput accommodare. At verò de diuersis rebus hic & ibi agit Apostolus nam in capite secundo de subiectione orbis terra, qui non Angelis, sed Christo est subiectus in primo verò de adoratione Christi in orbe terra. v. 6. de productione orbis terra. v. 10. Quare tamen si cum de subiectione orbis terra ageret, adiecerit se de futuro orbe loqui, quod id subiecta materia postulari non tamè ea adiectione ad alias quoque materias ullo modo pertinere debet. Cum enim satis constaret, orbem terra presentem subiectum esse Angelis, quo ad gubernationem, & administrationem, Angelorum enim interuentu Deus, & celos mouet, & hæc terrena administrat, res ipsa postulabat, ne qua daretur erroris occasio, ut adijceret Apostolus, se loqui de orbe terra futuro; eumque non Angelis, sed Christo subiectum esse diceret. In capite vero precedenti, cum nil tale adiecerit, vel hoc ipsum argumento est, illum non de futuro orbe terra; sed de presenti (qui absolute orbis terra appellatione intelligendus est) locutum: imo propterea in capite secundo id adiecit, quod

ante

ante de futuro orbe non egerit, & tunc primum agere coeperit. Denique luce ipsa clarior est, Paulum in capite primo. v. 10. terra, non futura sed presentis quam in habitamus, quamque Deus ab initio mundi condidit, mentionem facere, cum ait: In initio tu Domine terram fundasti; ita ut vel ex eo manifestum sit adiectionem illam Futuri: ad ea qua in capite primo commemorantur non pertinere, nec trahi posse.

Ex his igitur constat obligationem Christo parendi, eumque adorandi: non tum primum cum Christus resurrexit fuisse hominibus, & Angelis impostam: sed tum primum toti mundo declaratam, & publicatam. Antea enim nec toti mundo Christus fuit cognitus, nec à toto mundo adoratus. Esti verò non ab omnibus agnosceretur, omnium tamen Deus erat, omnesque suis legibus obligare poterat. Hoc igitur est, quod Christo post Resurrectionem donatum est, ut honor, quo se sponte per summam submissionem abdicauerat, toto vitæ suæ tempore, publice deinceps illi ab omnibus actu deferretur, & omne genu illi flecteretur, & omnis lingua gloriam eius confiteretur, ut sic ab ortu solis usque ad occasum laudabile esset nomen Domini. non quod ante illi prestari non potuerit, aut debuerit; sed quod eo publico, & uniuersali cultu, sponte se ipse priuauerat, magisque latere, & gloriam suam abscondere, quam prodere & manifestare voluerit. Deinde est titulo unionis hypostatica omnis honor, & gloria semper Christo deberetur, tamen post resurrectionem nouus etiam titulus accessit, ut propter passionem, & mortem omne illi genu flecteretur, & omnis lingua confiteretur.

Explicatur locus Act. 2. quomodo Deus Iesum fecerit, & Dominum & Christum, & figmenta Statortii de Semichristo exploduntur.

## CAPVT XIII.

Alium quoque locum urgent Aduersarij, quem ita pro se facere arbitrantur, ut conuincere se prorsus putent, id quod intendunt. Is est, Act. 2. v. 36. Certissime, sciat ergo omnis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc Iesum quem vos crucifixistis. Hinc enim necessario consequi aiunt: Si factus est post Resurrectionem Dominus, ante Resurrectionem plenè Dominum non fuisse: non enim fieri Dominus potuisset, si ante iam fuerat Dominus. Verum quantum in ea consequentia hallucinantur, ex his qua capite 11. docuimus, constare potest. Esti enim ante Christus Dominus esset, duplici tamen ratione ibi

I 2

ne ibi

Quomodo  
Christus  
factus Do-  
minus.

ne ibi explicata potuit dici factus Dominus. Deinde perspicuum est, Christum non idcirco dici post Resurrectionem factum Dominum, quod ante Dominus non esset; Primum, quia Christus a primo suo ortu usque ad mortem dicitur in scriptura Dominus; vix natus, ab Angelis vocatur Dominus, ab iis qui diuinam eius opem implorabant, passim dicebatur Dominus. Seipsum ab Apostolis iure Dominum appellari fatetur. Ioan. 12. v. 13. Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis. Sū etenim. Et Matt. 12. v. 8. Dicit se Dominum etiam Sabbati, hoc est, eum, qui possit de Sabbato vti velle disponere. denique, Paulus etiam in cruce pendentem non veretur Dominum glorie appellare, 1. Cor. v. 2. Dominum porro hoc, potestate qua omnibus rebus admirabili, & diuina prorsus ratione imperabat, ostendit, & quemadmodum nihil fuit, quod diuinam Christi potestate excederet; ita dubitari non potest plenum semper, atque perfectum fuisse Christi Dominium. Porro competebat hoc dominium Christo, titulo Filij Dei: quare sicut semper fuit perfectus Dei Filius, cui Pater non ad mensuram Spiritum dedit; ita & perfecte fuit semper Dominus.

Præterea locus is, quem tractamus, idipsum indicat: Dicitur enim; quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus. Eo igitur modo fecit eum Dominum, quo & Christum: At, Christum proculdubio non eo modo fecit, quod ante Christus non fuerit; ergo & Dominum non eo sensu fecisse dicitur, quod ante Dominus non fuerit; sed vel quod noua ratione & titulo Dominus, & Christus esse coepit, vel quod tam totus mundus eum pro Christo & Domino agnouerit & coluerit.

Christus semichristus.  
Arianis.

Respondet Statorius, Fol. 249. Christum ante Resurrectionem fuisse Christum; sed non plene, atque perfecte. Nomine enim Christi, tria officia, atque functiones intelliguntur. Sacerdotis Regis & Prophetæ. Porro hæc omnia, non nisi post Resurrectionem plene adeptus est. Nam & Sacerdotis officium in celo primum exercere coepit Heb. 2. v. 17. cap. 5. v. 5. cap. 7. v. 24. cap. 10. v. 5. Regiam potestatem & honorem, postquam consedit in dextera Dei consequutus est. Marci 16. v. 19. Actor v. 34. 1. Petri 3. v. 22. sed præcipue Ephes. 1. v. 20. Pontificum denique munus, multo perfectius exercere coepit postquam resurrexit, tunc enim perfecte mysteria regni caelestis, & voluntatem Dei, de conuersione & salute gentium & reprobatione Iudeorum cognouit, & docuit per Apostolos. Erat enim hoc mysterium ab æterno absconditum in Deo Coll. 2.

Ita Statorius Christum, non solum Semidominum, sed & Semichristum facit, quo quid absurdius dici potuit? Si enim imperfecte Christus fuit

fuit, certe à Spiritu sancto imperfecte vnctus est, & accepit ad mensuram Spiritum à Deo, contra expressa D. Ioan. verba qui cap. 3. v. 43. ait, Christo non ad mensuram Deum dare Spiritum. Cui enim non ad mensuram datur Spiritus, is perfecte, & cum omni plenitudine Spiritu ungitur, & perfecte Christus est. Nobis ad mensuram datur Spiritus quia per partes, & non cum omni plenitudine 1. Cor. 12. v. 7. Ephes. 4. v. 2. At Christo sine mensura datur, & ideo tota plenitudo Spiritus Sancti datur. Quod & ratio à Diuo Ioanne ibidem adducta indicat. Pater (inquit) diligit Filium, & omnia dedit in manu eius. Quis autem statuat modum, aut mensuram dilectioni, qua Pater diligit Filium, supra omnem modum & mensuram? Quod si ita diligit ut omnia dederit ei in manus, proculdubio sine mensura diligit; & nihil est, quod illi non dederit in manus. Quare & omnia, qua ad Sacerdotis, Regis, & Prophetæ munus spectant eidem plenissime communicauit. Idem in capite quoque primo de Christo prædicat, cum ait: Verbum caro factum est, plenum gratiæ & veritatis. statim igitur ac verbum caro factum est, fuit in carne plenum gratiæ & veritatis. Non igitur ulla ei perfectio vel gratia, vel veritatis defuit, alioqui plenus gratiæ & veritatis non fuisset. Tantam vero plenitudinem Christo tribuit, ut de plenitudine eius nos omnes acceperimus 16. ad eum modum, quo ex maris vel fluminis exundantis plenitudine proxima quoque loca implentur aquis. Primo enim in proprio alueo mare vel flumen summe plenum existit, tum eam qua super est aquarum copiam locis vicinis communicat. Verum Statorium illa argumentatio in errorem impulit: cum ex eo quod Christus non statim omnes triplicis illius muneris partes exercuit, concludit ipsum potestate necessaria muneri aliquo modo caruisse. Quæ est ineptissima argumentatio. Non enim potestate statim uti omnino oportet; sed cum necessitatis, & Prudentiæ ratio postulat: neque nisi subtilissimus diceret, tum solum potestatem alicui adesse; cum illa potestate utitur. Etsi igitur Christus non semper usus est illa triplici potestate, uti tamen quando voluit, potuit, pro temporis opportunitate, & sue sapientiæ præscripto. Officij enim cuiuslibet, quasi essentia in potestate faciendi posita est: usus vero & executio potestatis, effectus potius quidam est potestatis, quam ipsa potestatis essentia: ut & in Physicis potestatibus manifestum est, quæ manent integre etiam, cum ad actum non deducantur. Quod si ex usu potestatem metiri volumus, Dei quoque potestatem imperfectam esse oportebit, cum nec per omnem anregressam æternitatem ea usus sit, neque modo ex omni parte ea semper utatur.

Christus  
perfecte  
Christus.  
1.  
Non ad me-  
suram Spi-  
ritura acce-  
piti

2.  
Plenum gra-  
tiæ & veri-  
tatis,

Erroris Sta-  
torij causa.

Potestas ab  
usu distin-  
guitur



De Christi  
Pontificatu.In terra  
pontificatu  
exercuit.

1.

2.

Quomodo  
Christus  
Pontifex  
in caelo.

Verum ut in particulari de singulis agamus, aiunt Aduersarij Christum non in terra, sed in caelo perfecte Pontificem fuisse, tum quod scriptura in caelis nobis Christum Pontificem ostendit non in terra, tum quod oblationem qua est proprius actus Pontificatus ipsius, in caelis proprie exhibet. At nos contra, Christum in terris perfecte Pontificem fuisse asserimus ex perfecta potestate: quam habuit ad munera Sacerdotij exercenda. Nam Sacerdotis proprium munus est praesse hominibus in his qua sunt ad Deum. Ut ex capite 5. ad Heb. v. 1. colligitur. Porro Christus cum in terris ageret praesit hominibus in his qua sunt ad Deum. Nam & Sacramenta, per qua gratia Dei hominibus communicatur, instituit, ad eaq. usurpanda homines, sub amissione aeterna vitae obligauit: & sacrificium corporis & sanguinis sui in cruento quidem modo in caena Deo obtulit, cruento autem in altari crucis. Heb. 9. v. 26. quod sacrificium cum fuerit perfectissimum, plenamq. nobis peccatorum, Veniam & vitam aeternam comparauerit (una enim oblatione sanctificauit in aeternum sanctificatos Heb. 10. v. 14.) dubium non est ipsum, quoq. Sacerdotem perfectum fuisse. Nam quod aiunt scripturam ostendere Christum Sacerdotem in caelo: id non ita accipiendum est, quasi in terra Pontificem non egerit; sed quod per mortem Pontifex esse non desierit (quod nulli alteri contigit,) & in caelo residens, ac viuens in aeternum, Sacerdotij munere fungitur in aeternum, apprensus vultui Dei pro nobis. Quam ob causam Heb. 2. v. 17. Paulus ait. Debuisse per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret & fidelis Pontifex apud Deum, tanto enim fidelibus munere Pontificis in caelo fungitur, quanto magis in seipso miserias & mala nostra expertus est. Id ipsum indicat illa verba. Heb. 4. v. 14. Habentes Pontificem magnum, qui penetravit caelos: hoc est, qui per mortem non est suo Pontificatu defunctus; sed caelos penetravit, ut etiam ibi pro nobis Pontifex esset. Nam ut capite 7. v. 23. ait. Alij plures facti sunt Sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quod maneat in aeternum sempiternum habet Sacerdotium: hoc est, aliorum Sacerdotia morte extincta sunt, quod illi ipsi post mortem non permanerent ad continuandum Sacerdotium; hic vero & post mortem manet, idq. in aeternum; & ideo sempiternum habet sacerdotium. Denique eundem sensum habent illa verba. C. 8. v. 4. Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: hoc est, si terrenus & temporalis esset Sacerdos Christus admodum aliorum, qui morte prohibiti sunt permanere in Sacerdotio, & super terram tantum erant sacerdotes, terrena non caelestia sacrificia offerentes: proculdubio nec esset Sacerdos:

Sacerdos: hoc est, non erat necesse, ut esset Sacerdos; cum esset (ut magis addit) alij Sacerdotes, qui secundum legem offerrent munera, qua non erant caelestia, sed solum exemplaria & umbra caelestium.

Iam quod urgent Aduersarij Christum non in terra sed in caelo obtulisse sacrificium: id nullo modo constare potest, cum expresse Paulus dicat. C. 9. v. 24. & seq. Iesum introisse in caelum, non ut sepe offerat semetipsum; quemadmodum Pontifex intrabat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum pati frequenter ab origine mundi; nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit, & semel oblatum est ad multorum exhaurienda peccata. Quibus verbis primum Paulus agnoscit Christi sacrificium sacrificium cruentum, quod si repeteret, oporteret eum frequenter pati, quod proculdubio non est nisi sacrificium crucis non in caelo sed in terra oblatum a Christo. Deinde agnoscit eiusmodi Christi sacrificium quod semel tantum oblatum est, quod de oblatione quam Christus in caelo perpetuo facit intelligi non potest, quod idem repetit C. 10. v. 14. Una, inquit, oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos. Cum igitur hac unica oblatione & perfectissima sit; & in terra facta: consequens est Christum perfectissimum Sacerdotis munus in terra expleuisse. Quid ergo est (inquies) quod ait Paulus c. 8. de oblatione illa caelesti. Omnis Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur; unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat? Aio loqui Paulum de Christi sacrificio in cruento, quod in caelis residens Deo offert perpetuo per manus Sacerdotum; qui Christi nomine Christi potestate offerunt Deo corpus & sanguinem tum Christi sub specie panis & vini. Nam primo certum est loqui de oblatione propria sacrificij ex eo enim quod omnis pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur concludit Christum quoq. qui est Pontifex longe Maximus, habere quod offerat. Pontifex enim non ad oblationes improprie dictas constituitur, alioqui ipse quoq. improprie & metaphorice Pontifex esset. Deinde certum est, Christum in caelo non aliud offerre sacrificium; quam quod in terra obtulit, hoc est, semetipsum. Paulus enim crucis sacrificium; quam quod in terra obtulit, hoc est, semetipsum. Est autem verum, quod idem sacrificium, non solum, quia idem quod in terra obtulit, etiam in caelo offert; sed & quod virtus sacrificij in terra facti, in illud quoq. quod quotidie a Christo in caelo offertur derivatur. Sacrificium enim in cruento, totam vim suam a cruento accipit, ita valente Christo, ut una oblatione consummaret in aeternum sanctificatos. Cumq. in cruento offerat

virtutem cruenti eo ipso applicat, & facit, ut per incurmentum vires sua in nos exerat. Quod cum prestat Christus proprio Sacerdotis, secundum ordinem Melchisedech officio fungitur: cum ordo Melchisedechianus in forma sacrificandi, sub Panis & vini specie positus sit: ut omnes sancti Patres, & Ecclesia Doctores hactenus intellexerunt. Et satis constat, quod quemadmodum cruentum semel offerri debuit, ita incurmentum, non semel, sed quotidie & in eternum offerri debeat. Hoc est igitur quod Paulus ait Christum apparere vultui Dei pro nobis, interpellare pro nobis, offerre pro nobis: Præstat enim hæc omnia Christus, non communi, sed Pontificis propria ratione. Apparet vultui Dei pro nobis, quia ipsius respectu nobis omnia à Deo bona communicantur, & quæcumq; à Deo impetrari debent per Christum & in Christi nomine petenda sunt. Interpellat pro nobis, quatenus causam nostram agit apud Deum, & ius meritorum suorum interponit ad omnes gratias nobis à Deo obtinendas. Offerit pro nobis semetipsum, non solum sui representatione, qui est modus offerendi improprius ac metaphoricus, & iis qui sacerdotes non sunt conueniens; sed re ipsa & proprie per modum sacrificij, qui modus offerendi solis Sacerdotibus conuenit. Offerit autem sub specie Panis & vini, modo & via sacrificij Melchisedechiani, tanquam Pontifex in eternum secundum ordinem Melchisedech.

Offeritur à Christo in eternum.

Christus ut sacerdos interpellat.

Duo loca scripturae idem continent.

Sunt & alia duo loca scripturae, quæ docent Christum in cruce sacrificium peregrisse, & purgationem peccatorum fecisse. Alter est ad Epes. 5. v. 2. Dilexit nos & tradidit seipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Hunc locum intelligi de sacrificio crucis patet, ex illis verbis Tradidit semetipsum. Non enim Christus se tradidit in cælo; sed in terra, cum se in mortem tradidit. Ita enim tradendi verbo non semel utitur scriptura. Ad quid autem se tradiderit; mox exponit: Oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Erat igitur Christus in cruce oblatio & hostia Deo. Ait Socinus: Hoc verbum Tradidit, non debere coniungi cum verbo oblationem; verum per se legi debere, quod Christus seipsum tradiderit subintellige in mortem. Sequentia vero verba, oblationem & hostiam Deo, sunt veluti illustratio & commendatio istius operis Christi: sicut ad Hebr. 13. Beneficentia & communicatio uis nolite obliuisci talibus enim hostiis promeretur Deus. Et Phil. 4. v. 18. At nimis dura & violenta est expositio ne dicam inepta & stulta. Cum Apostolus eodem contextu verborum utrumq; doceat, quod Christus seipsum tradiderit oblationem & hostiam Deo. Loca quæ Socinus affert

affert de spirituali & Metaphorico sacrificio intelliguntur. at Christi sacrificium non spirituale, & Metaphoricum; sed verum & proprium fuit sicut & Sacerdotium. Alter locus est Heb. 1. v. 3. Christum per semetipsum purgatione peccatorum facta, consedisse in dextera throni maiestatis in excelsis. Si ergo Christus hic in terris per mortem suam purgatione facta consedit in cælis consequens est Christum hic in terra obtulisse sacrificium ad peccata nostra expianda.

Opponit Socinus duo loca. Primus est in Capite 9. Hebr. ubi Paulus urget figuram Pontificis legalis; & eam Christo applicat. Sicut igitur mactatio pecudis quæ fiebat ante ingressum Pontificis in Sancta Sanctorum non erat sacrificium, cum fieret extra locum sacrificij; sed preparatio ad sacrificium, ipsum vero sacrificium in Sanctis Sanctorum perficiebatur illatione & oblatione sanguinis mactata pecudis. Ita & Christi mactatio in cruce erat tantum preparatio ad futurum in cælo sacrificium, quod Christus introiit semel tanquam Pontifex summus in sanguine non alieno sed proprio, nihilominus intulisse urget Socinus dictam figuram, cum satis constet non solum sanguinem oblatum in Sanctis Sanctorum; sed & mactationem pecudis ante factam, fuisse verum sacrificium. Legat locum Leuitici 16. Vbi ritus huius sacrificij præscribitur, & inter cetera, & ante ingressum in sanctuarium, & post egressum, sacrificium Deo offerri consueuisse. Non enim solum, Sancta Sanctorum erat locus sacrificij; sed & ea quæ extra Sancta Sanctorum Deo offerebantur, erant verissime sacrificia imo altare æneum erat extra maximè cum mactationi illi pecudis nihil ad rationem sacrificij deesset. Erat enim confectio rei ad cultum & honorem Dei; & non sanguinis solum illius pecudis sed & caro, quæ non inferebatur in Sancta Sanctorum, cedebat in sacrificium Deo & mactatio ipsa in cultum Dei facta, erat reuera oblatio Deo pecudis illius mactata: imo magis erat oblatio ipsa mactatio quam sanguinis illa in Sanctis Sanctorum representatio, siquidem illa re ipsa, & per realem rei confectio-nem in cultum Dei, erat oblatio; hæc autem verbis, & rei iam oblata representatione.

Figuram Pontificis legalis.

Urget secundo locum in Capite 10. v. 5. ubi de Christo hoc habet. Ideo ingrediens in mundum dicit: Hostiam & oblationem noluit corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam Deus voluntatem tuam, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi. Ait igitur Socinus Christum non in hunc mundum, sed in illum cælestem ingressum esse ad offerendum corpus suum: tum quia in hoc

K

munda

mundo non statim obtulit corpus suum, uti verba Pauli indicant: tum quia dicit ad hanc oblationem faciendam corpus perfecisti mihi, hoc est, perfectum, & immortale reddidisti. Hoc enim verbum *κατεργασα* significat potius quam *απαсти*. Id verò sacrificio illi cœlesti congruit, quod in corpore perfecto & immortalis à Christo peragitur.

Christus in  
quam mun-  
dum ingres-  
sus dicitur.

Errat in hoc quoque Socinus tum quia mundi nomine absolute posito, mundus hic terrenus, qui absolute mundus dicitur, intelligitur. Cœlestis vero mundus, non nisi cum adiectione aliqua novi, futuri, cœlestis mundi significatur; tum quia in eum mundum ingressus est Christus secundum Paulum, in qua sacrificium illud unicum corporis sui semel obtulit ad nos in perpetuum sanctificandos. Hoc autem sacrificium semel oblatum, non in cœlo sed in terra oblatum est: quum si frequenter offerretur patri Christum frequenter oporteret teste Paulo. Illud vero cœleste non semel; sed perpetuo in cœlo offertur. Neque verò Paulus ait, Christum statim ac in mundum ingressus est obtulisse sacrificium, sed primum quidem voluntate seipsum obtulisse: tunc deinde re ipsa se sacrificasse. Neque etiam ad id sacrificium secundum Apostolum requiritur, corpus perfectum, id est, immortale, sed mortale potius, cum patiundo peragi debuerit: ita ut si frequenter eo modo Christus seipsum sacrificaret, frequenter pati ipsum oporteret. Vox igitur *κατεργασα* siue vertatur *Απαсти* siue *Formasti*, siue *perfecisti*: proculdubio perfectionem immortalitatis non designabit; sed tantummodo eam perfectionem qua fini sacrificij conveniret; ut sit sensus, corpus perfecisti mihi ad hoc, ut illud tibi in sacrificio offeram. Etenim quum Deus erat, non habebat naturam, quam Deo offerre in sacrificio potuisset, factus vero homo, accepit corpus aptum & perfectum, ut in eo seipsum sacrificare posset.

Smalcij er-  
ror de sacer-  
dotij Chri-  
sti metapho-  
rico.

Dissimulare hoc loco non possum impiam Smalcij de Christi Pontificatu sententiam. Vult enim non proprie sed figuratè Pontificem fuisse. Sicut enim in veteri lege Pontifices Deus esse voluit, qui causam populi apud Deum agerent: ita Christum, cum causam hominum apud Deum agat, Sacerdotem & Pontificem dici ait, & hoc eius opus Sacerdotium appellari, absque ulla veri sacrificij ratione. Ita iste impius C. 25. loquitur. neque aliam tam absurdi erroris rationem affert, nisi quod si alia ab qua dignitas in sacerdotio Christi contineretur, præter illam curam, quam de sua Ecclesia gerit Christus, utiq; aliquam eius mentionem Apostoli in suis scriptis fecissent; cum tamen solus Paulus, in sola Epistola ad Hebræos, Christi Sacerdotij mentionem faciat. Quasi verò unus Apo-  
stoli,

stoli, in una ipsius Epistola auctoritas non satis esse debeat ad fidem adstruendam. Certè Paulus Christum Sacerdotem esse probat, respectu sacrificij, & quidem proprie non Metaphoricè, quemadmodum & alios Pontifices. C. 8. v. 3. Omnis inquit Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur: unde necesse est & hunc habere aliquid quod offerat. Neg; vero solum proprie Sacerdotem esse probat; sed inter omnes Sacerdotes longè perfectissimum, in ipsa Sacerdotij ratione, quod illius unius sacrificium plus possit ad salvandos homines quam innumera aliorum omnium sacrificia. Ita in capite 7. 8. 9. 10. Certè Metaphoricus Sacerdos perfectior non est verò & proprio Sacerdote. Denique cura illa circa homines apud Deum, quatenus ad Sacerdotem proprie spectat est sacrificij respectu. In sacrificio enim Sacerdos Deo adstat, pro populo, ut Sacerdos intercedit, ut Sacerdos orat, ut Sacerdos offert. extra sacrificium vero iidem actus sunt communes Sacerdotibus cum aliis qui Sacerdotes non sunt. Nam alij quoque causam aliorum agere apud Deum intercedendo & orando possunt: Soli verò Sacerdotes offerendo, qui solus actus, Sacerdotes à non Sacerdotibus distinguit ac separat. Si igitur Christus nullum obtulit proprie dictum Sacrificium. Profecto cura illa astandi Deo, & interpellandi pro nobis Sacerdotalis non erit. Cum id etiam, à non Sacerdotibus præstari ex charitate possit, ex quo consequeretur, Contra expressas Scripturas Christum nullo modo Sacerdotem esse. At de Christi Sacerdotio satis.

De duplici Christi regno & regia ac Prophetica Christi dignitate contra Statorium.

#### CAPVT XIV.

Regiam Christi dignitatem & potestatem Statorius vult semper imperfectam & diminutam fuisse: quod non nisi post Resurrectionem Angelos, & totum mundum sibi subiecerit. Refellitur hic Statorij error ex supradictis. Aliud enim est loqui de actu regnandi, aliud de regia ipsa potestate. Etsi igitur Christus ab actu regnandi in mundo palam & manifestè abstinuerit toto vitæ suæ tempore (humilem enim & abiectam vitam elegit;) non tamen ea propter Rex esse desuit, cum plenissimam regnandi potestatem semper habuerit.

Libet autem hic plenioris doctrine causa de regno Christi aliqua adscribere: ut ex iis varia scripturarum loca intelligi & explicari possint.

K 2

Duplex

Regnum  
Christi in  
terris Ecclē-  
siae.

Duplex igitur Christi regnum inuenimus in scriptura, alterum in terris, quod regnum Ecclesia dicitur, alterum in caelis, quod regnum gloria appellatur. Etsi enim potestas Christi hominis amplissima sit, & omnia complectatur, potuissetq; Christus sibi omnia regna mundi & omne regimen iure suo vendicare; abstinuit tamen de facto, atque ex vniuersa dominij sui amplitudine, duplex tantummodo sibi delegit: Vnum est, quo in animis hominum regnat per fidem alterum quo in beatis regnat per gloriam.

Christus  
quomodo  
pauper.

Alia vero regimina & gubernationes non usurpauit de facto, quamuis ius ad illa amplissimum haberet. Quare neque gubernationem regnorum temporalium sibi assumpsit; sed eam (quod tota circa corpora & eorum istas externas versetur) dominis & regibus mundi reliquit; ipse vero dominij huius temporalis respectu, pauper & egenus extitit, non habens ubi reclinarct caput suum. Simulq; & Dominus erat horum temporalium de iure; & de facto omnium pauperrimus, & egentissimus; quod se omni usu, & possessione dominij sponte priuauerit. In eoque sensu confessus est se Regem esse; sed non de hoc mundo, quod non temporalium rerum regimen sibi assumpsisset; sed spiritualium duntaxat, non corporum sed animorum. Est igitur primum Christi regnum in quo Christus regnat per fidem in animis hominum, sicut Princeps huius mundi, quem expugnaturus venerat, regnabat in animis hominum per infidelitatem. De hoc intelligitur illud psalmi secundi. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super sion montem sanctum eius predicans praeceptum eius. quibus verbis Regis huius officium ostenditur esse predicare, & viam hominibus ad caelum patefacere. Porro etsi hoc Christi regnum in terris sit: non tantum terrenum; sed caeleste, dicendum est, quia non est temporale sed spirituale, & in caelum homines dirigens: quare & Regnum caelorum non semel in Euangelio appellatur, quod caelesti potestate per media caelitus data ad finem gloriae caelestis tendat. Dicit hoc regnum Solum David, & regnum David Isaia cap. 9. v. 7. Multiplicabitur eius imperium super solum David, & super regnum eius, ut confirmet illud & corroboret a modo usque in sempiternum. Quod aliis verbis Angelus exponit Luc. 1. v. 32. Dabit illi Dominus sedem David Patris eius, & regnabit in Domo Iacob in aeternum, & regni eius non erit finis. Quomodo vero Christus super solum & regnum David sedere dicatur & regnare in domo Iacob, potest in hunc modum explicari. Non est dubium Christum non fuisse Davidis successorem in regno temporali; cum eo tempore quo Christus in terris fuit, partim Reges, partim Imperatores Iudaeis imperarent. Christusq; nullam partem gubernationis in Republi-

Rex non de  
hoc mudo.  
Regnat per  
fidem.

lica Iudaeorum sibi usurpauerit. Sedes igitur & regnum David spiritualiter accipiendum est. David enim Rex, fuit figura regni Christi spiritualis: quare sedem illam & regnum illud, quod David representabat, Christo futurus erat Deus. Quod ita verum est, ut etiam propterea Christus, se in scriptura David dicatur, quia fuit in Davide representatus. Ier. 30. v. 9. seruiet Domino Deo suo, & David Regi suo, quem suscitabo eis. Ezech. 34. v. 23. & 37. v. 24. David seruus meus princeps eorum in perpetuum. Ergo propter quam causam Christus dicitur David; etiam Christi sedes & regnum, dicitur sedes & regnum Davidis. Quanta vero huius regni Christi amplitudo futura esset, ut illa verba indicant. Multiplicabitur imperium eius. idcirco enim non apponit terminum, quousque multiplicandum esset; quia sine termino multiplicandum erat in omnibus gentibus, usque ad terminos orbis terrarum. ut etiam in Psal. 2. dicitur. Postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem terminos terrarum: Regni etiam huius dicitur non futurus finis, sed regnaturus dicitur Christus in aeternum in domo Iacob, id est in populo Dei, Israelitis veris non carne; sed spiritu. Colligitur enim hoc regnum per fidem, & colligetur usque ad iudicij diem, donec omnes homines Christo subiiciantur: tunc enim nondum videmus omnia subiecta ei teste Paulo Hebr. 2. Quod ubi perfectum fuerit, nouissima omnium destruetur mors. 1. Cor. 15. v. 26. corporibus ad vitam restitutis, & immortalitate donatis. Tunc vero Christus regnum tradet Deo & Patri, ut ibidem ait Apostolus: quia non amplius illo modo per fidem in hominibus regnabit; sed tradet illos Deo & Patri: ut in quibus ipse regnabat per fidem, ille regnet per gloriam longe nobiliori ratione suam illis diuinitatem communicando, & eos seipso in omnibus dirigendo: ut Deus sit omnia in omnibus, hoc est: non per media: sed immediate in omnibus regnet: & sua diuinitate omnia in omnibus operetur; & sit omnibus omnia. ut in omni re immediate, ab illo dependeat. Ex quo apparet Regnum hoc Christi tunc cessaturum, absque ulla gloria Christi immutatione: imò cum summa Christi gloria. Finis enim regni Christi is fuit, ut acquireret homines Deo & Patri. Hoc igitur perfecto, finem regnandi faciet, & homines Deo tradet, non sine summo, & in aeternum duraturo suo triumpho & gloria. Quidquid enim boni & felicitatis hominibus per totam aeternitatem accidet: id totum Deo per Christum & eius merita tribuetur. Sicq; Christus triumphum regni sui ager in aeternum, dignitatemq; suam regiam retinebit semper; & fructu regni sui in caelis perpetuo perfruetur. Neque vero omnino non regnabit, sed qui

Regnum e-  
ius non ter-  
renum sed  
caeleste.

Christus se-  
des super  
solum Da-  
uidis spiri-  
tualiter.

Christus se-  
des super  
solum Da-  
uidis spiri-  
tualiter.

Christus se-  
des super  
solum Da-  
uidis spiri-  
tualiter.

Christus se-  
des super  
solum Da-  
uidis spiri-  
tualiter.

Christus di-  
citur David.

Christus di-  
citur David.

Regni Chri-  
sti amplitu-  
do.

Aeternitas.

Mortis des-  
tructio.

Tradet  
Christus re-  
gnum Pa-  
tri.

An cessabit  
regnum  
Christi post  
diem iudi-  
cii.

Triumphus  
regni Chri-  
sti in aeter-  
num.

consueque regnabat, ut homo; deinceps una cum Patre regnabit ut Deus, prioris veri regni sui fructu, ut dixi, perpetuo fruatur. Iam vero & illud facile intelligimus, quod Apostolus de Christo ait: Tunc & ipse Filius subiectus erit ei tradendo enim Regnum Deo & Patri, eo ipso manifestum faciet se qua homo est regnum, & omnia à Patre accepisse, ipsiq; referre acceptum, atq; in illo glorie regno se, qua homo est subiectum Deo & Patri ostendet, & ab eo dependebit. Christi enim caput Deus 1. Cor. 11. v. 3. Ea vero subiectio nullum prauidicium affert diuinitati, secundum quam semper est equalis Patri, imò vnus Deus cum Patre.

Alterum Christi regnum, est regnum gloriae, de quo latro in cruce. Memento (inquit) mei dum veneris in regnum tuum. Et mater filiorum Zebedaei. Dic ut sedeant hi duo filii mei vnus ad dexteram, alter ad sinistram in regno tuo: Et Christus ipse Matth. 16. v. 19. Sunt quidam de hinc Stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo. Id quod impletum est in transfiguratione, quum Christus apparuit in gloria tanquam Rex caelestis, caelesti forma atque specie. Consistit autem hoc regnum tam in gloria corporis & anima, quam ipse e plenitudine habet, ut omnes alij ex eius plenitudine accipiant, ipseq; sit in omnibus primatum tenens, multosq; filiorum adducat in gloriam; & caelestis gloria faciat esse consortes. tum in illa potestate, qua ut caeli terraq; Dominus regnat, habetq; sibi subiectos homines & Angelos, ut ut illi omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur. Porro regnum hoc Christus habuit ab ipso instanti conceptionis: statim enim vidit Deum, & gloriam illam caelestem in se habuit, quam & in transfiguratione manifestauit, qua etiam dicitur gloria regni Christi. Verum actualem eius regni administrationem, ad suum in caelos ascensum distulit. Tunc enim penetrando caelos, & sedens ad dexteram maiestatis in excelsis cepit manifeste caelo terraq; dominari, subiectis sibi Angelis & potestatibus, & regni sui caelestis diuitias hominibus exponere, ipsosq; gloria regni sui participes facere.

Porro huius caelestis regni possessionem duplici quasi titulo Christus adiit. Primum titulo hereditario ut Filius Dei. Constituit enim eum Deus heredem vniuersorum. Heb. 1. v. 2. Deinde titulo passionis & mortis. Oportuit enim Christum pati & resurgere à mortuis; & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. v. 26. quod & illa omnia loca indicant qua docent gloriam illius caelestis regni Christo datam à Deo in primum passionis ipsius & mortis. Heb. 2. v. 9. Phil. 2. v. 8. Rom. 14. v. 9. Apoc. 5. v. 12. *Indicat*

Filius ut homo subiectus erit Patri.

Regnum gloriae.

Regni huius administratione.

Duplex titulus Regni gloriae.

1 Hereditatis  
2 Passionis.

*Indicat & illa parabola: Hominis abeuntis in regionem longinquam, ut acciperet sibi regnum.* Luc. 19. Denique visio illa Danielis cap. 7. id ipsum docet. Aspicebatur in visione noctis, & ecce in nubibus caeli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & linguae seruiant ei, potestas eius, potestas aeterna, quae non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Quocirca quod de dominio Christi dicebamus, idem quoq; de regno Christi dicendum est, ut post Resurrectionem Christus duplici ex causa dicatur consecutus regnum, tum quo ad actualem & publicam Regni sui possessionem, & administrationem tum quo ad potestatem regnandi nouo titulo ipsi traditam, nempe propter passionem & mortem.

Iam quod ad Prophetiam spectat eam quoq; Statorius vult in Christo fuisse diminutam & imperfectam. Cum enim Propbeta perfectum diuinarum rerum cognitionem complectatur, ait Christum aliqua mysteria diuinae voluntatis ignorasse, quod ea non nisi post Resurrectionem manifestauerit, ut de gentium conuersione & Iudaeorum reprobatione, sicq; Christum non omnino perfectam Prophetiam habuisse. Verum dicere Christum aliquid proprie ignorasse, summa est in Christum blasphemia. Si enim aliqua ignorauit, non fuit plenus gratiae & veritatis, cum ad plenitudinem ei aliqua veritates deessent. Neque verum esset, quod de illo Ioannes ait. cap. 3. v. 34. non ad mensuram ei spiritum datum, id enim praecipue ad cognitionem diuinarum mysteriorum retulit Ioannes ita enim ait. Quem misit Deus, verba Dei loquitur. Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, eum Spiritum intelligens quo Dei verba loquebatur. Quod si absque ulla mensura habuit Spiritum, ut posset, omnia verba Dei loqui, & totam Dei voluntatem docere, proculdubio totam Dei voluntatem perfectissime nouerat. Quare & Petrus intrepide confessus est Christum omnia nosse, nulla re excepta atq; ex eo intulit, Christum etiam cordium cogitationes nosse, quod omnia nosset. Domine inquit, tu omnia nosci, tu scis, quia amo te. Ioan. 21. v. 17. Male vero colligit Statorius Christum ignorasse mysterium conuersionis gentium, ex eo quod illud non manifestauerit, eadem enim ratione collige Deum quoq; plurima ignorare, quae nondum hominibus manifestauit; neq; manifestaturus est. Dicitur quidem modo quodam loquendi nescire Christus qua homo diem iudicij: non quod reuera nesciret, sciuit enim & praedixit eius die signa, idq; ad officium Christi maxime spectabat, cum fuerit constitutus iudex viuorum & mor-

Christus consequens Regnum gloriae duplici de causa

De Prophecia in Christo.

Christus nihil ignorauit.

1

2

3

4

6

Quomodo dicatur nescire diem iudicij.

& mor-

Et mortuorum; sed quod propter secreti rationem, ad dicendum & manifestandum nesciret. Quo etiam modo Deus aliquos dicitur nescire, quos re ipsa & effectu ita tractat ac si nesciret illos. Electos vero dicitur speciali ratione nosse, quod re ipsa demonstrat se illos cognoscere pro suis. Consimili ratione et si Lucas ait cap. 2. Proficiebat Iesus sapientia & aetate, & gratia apud Deum & homines. tamen ibidem. vers. 40. adiungit. Puer autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia, & Gratia Dei erat in illo. Non igitur eo sensu dixit, profecisse sapientia; quasi non esset sapientia plenus, sed potius sapientia demonstratione. Noua enim in dies sue sapientia dabat documenta. Sic etiam Deus dicitur induere fortitudinem, cum eam incipit re ipsa demonstrare.

De sessione Christi ad dexteram Patris, & suprema dignitate post Resurrectionem obtenta

## CAPVT XV.

Quod Paulus ad Eph. 1. de suprema Christi dignitate post Resurrectionem obtenta, scriptum reliquit; id Ariani ita interpretantur, ut ex eo Christum non fuisse ante Resurrectionem perfectè Deum, ostendere conantur. Ita verò habet S. Paulus. Resuscitans eum à mortuis, & Constituens ad dexteram suam in caelestibus super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur; non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Et omnia, subiecit sub pedibus eius. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. Quae, inquiunt, maior dignitas ista cogitari potest? quam, cum Christus post Resurrectionem obtinuerit, diuinitatem proculdubio obtinuit, neque ante fuit perfectè Deus.

Nos vero uti summa esse ista omnia facile agnoscimus: ita non eo spectare credimus, ut aliquid de Christi diuinitate detrahant; quin potius eam magis demonstrant, & confirmant. Dicam clarius: Christi Maiestas tota vita ipsius ea erat, ut esset dignissimus, ut etiam qua homo sederet ad dexteram Dei supra omnem creaturam, subiectis sibi hominibus, & Angelis: id enim coniuncta humanitati diuinitas, & forma illa Dei, in qua erat aequalis Deo merebatur. qui enim Deo aequalis est, sedere ad dexteram Dei iure potest, homo vero ille ob unitam diuinitatem aequalis Deo erat semper, igitur sedere ad dexteram Dei iure poterat. De facro tamen eam dignitatem per passionem & mortem consequi voluit, & eo usque exaltari, ut aequalem cum Deo Thronum haberet in caelis. Id quod manifestius

A sua conceptione poterat Christus sedere ad Dei dexteram. Quia aequalis Deo.

stius patebit, si quid sit ea sessio ad Dei dexteram explicauerimus magis. Neque enim ea sessio proprie accipi debet; sed improprie & metaphorice. Nam neque Christus in caelo situ corporis necesse est ut sedeat; neque Deus dexteram aut sinistram proprie habet, cum sit incorporeus. Paulus asserit Christum sedere in dextera Dei in sempiternum, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius Hebr. 10. v. 12. Stephanus vero vidit eundem Christum stantem à dextris Dei Actor. 7. Et Ioannes Agnum stantem tanquam occisum, & accipientem de dextera sedentis in Throno librum Apoc. 5. Deinde cum Psalms 109. dicitur: Sede à dextris meis. Mox de ipso Deo subiungitur: Dominus à dextris tuis, ut necesse sit non de corporali dextera verba scripture accipi, cum fieri non possit; ut quis eiusdem respectu sit à dextris & à sinistris.

Porro dextera Dei ad quam Christus sedere dicitur, nunc dextera maiestatis appellatur. Heb. 1. v. 3. nunc dextera sedis magnitudinis Heb. 8. v. 1. nunc dextera virtutis Dei Matih. 26. v. 64. ut ex eo Christi partem cum Deo maiestatem, magnitudinem, virtutem intelligamus. Neque enim infra se Christum Deus collocauit; sed ad dexteram suam, ne minorem, sed potius aequalem Deo crederemus. Ut enim Deo nihil altius aliquid reperiri potest. Neque vero quocumque modo esse ad dexteram Dei dicitur, sed sedere: ut in eodignitatem Dei, ac Domini intelligamus. Sedere enim dominorum est, stare ministrorum. Quocirca Paulus ad

Hebr. 1. v. 15. Ad quem, inquit, Angelorum dixi aliquando: Sede à dextris meis. moxque rationem subiungens ait: Nonne omnes sunt administratorij spiritus? ac si diceret: idcirco nulli Angelorum conuenire, ut sedeat à dextris Dei, quod omnes sunt administratorij spiritus. Sedere autem in Throno maiestatis, est regnantis & Domini non ministri. Rectè igitur ex eo colligunt Catholici Christum esse verum Deum, quod ad dexteram Dei sedeat. Quamuis enim de Christo homine dictum sit, quod sit exaltatus & collocatus ad Dei dexteram super omnes creaturas, tamen homo ille exaltari ad eam dignitatem non potuisset, nisi simul & Deus esset. Sedere enim ad Dei dexteram non est infra Deum esse; sed parem cum Deo honorem habere. Nemo autem Deo par esse potest, qui Deus non sit, omne enim quod Deus non est, minus est ipso Deo. Quare & Christus homo exaltari ad eam sessionem non potuisset, nisi simul Deus verus esset. Hominem quidem exaltari conuenit, ad diuinum honorem habere, non nisi vero Deo. Hominem igitur & Deum esse oportet, qui exaltari ad diuinos honores possit, ex diuina enim natura sibi coniuncta, homo ille diuinos honores

Sessio Domine dignitatem significat. Sessione ad dexteram Dei probatur Christi diuinitas.

Nisi Deus esset sedere ad Dei dexteram non possit.

An Christi  
stus in ter-  
ris agens se-  
derit ad Dei  
dexteram.

non des meretur, neque absque illa diuinis honoribus dignus esset.  
Iam si quis inde inferat, Christum in terris adhuc agentem, sedisse ad dexteram Dei. si sessio illa, nil aliud quam aequalem cum Deo honorem designat: Respondendum est, Christum hominem cum adhuc in terris esset tantae dignitatis fuisse, ut sedere ad dexteram Dei iure potuisset, propter suam cum Deo aequalitatem: de facto tamen plenè non sedisse ad dexteram Dei, nisi postquam ascendit in caelum: tum quia scriptura eam sessionem Christo non nisi post Ascensionem, idg. per modum exaltationis, & in primum passionis suae tribuunt: tum quia sedere ad dexteram Dei non est solum dignum esse, cui equalis cum Deo honor tribuatur; sed esse actum in possessione, & usu eius honoris. quia igitur Christus homo quamdiu in terra fuit humilem & abiectam vitam egit omnemq. honorem quam maxime vitauit, & non nisi postquam in caelos ascendit honoris sui plenam possessionem accepit se Deum verum demonstrans, & maiestatem suam omnibus patefaciens: Ideo post Ascensionem dicitur re ipsa sedisse ad dexteram Dei, cum antè id ipsum iure & dignitate eidem conueniret.

Sessio ad  
Dei dexteram non est  
diuinitas  
sed honor.

Ex his igitur apparet non posse ex hac sessione concludi, Christum tum demum perfectè Deum factum, & ante Semideum fuisse. Sessio enim illa ad dexteram Dei non est diuinitas Christi: sed consequens diuinitatem honor: siquidem propter veram suam diuinitatem, & locum in caelo summum, & summos honores merebatur. Quemadmodum enim is qui legitime Rex est, thronum Regium iure suo occupat, neque Thronus facit illum legitimum Regem; sed cum ipse sit Rex legitimus, ius habet regium, thronum regium occupandi: Ita sessio illa ad dexteram Dei, & Thronus ille altissimus in caelo, neutiquam illum Deum constituit, sed potius diuinitas eius fecit, ut thronum illum aequalem Deo, ad ipsam Dei dexteram occuparet. Non igitur Christus sessione illa ad Dei dexteram diuinitatem adeptus est; sed illo quasi signo & effectu se Deum verum esse declarauit.

Cur Christi  
e institutus  
ad Dei dex-  
teram à Pa-  
tre.

At inquirunt. Si Deus erat, quid opus habebat constitui à Deo ad eius dexteram. Respondeo. Si solo diuinitatis titulo occupare sedem illam ad Dei dexteram voluisset, potuisset equidem id iure suo facere, nullius alterius ope requisita: at quia voluit eam gloriam titulo meritorum passionis & mortis suae quatenus homo obtinere; ideo in ea obtinenda à Deo Patre dependere voluit: ut sicut propter Patris honorem & obedientiam, tam grauem passionem & mortem sustinuit; ita vicissim à Patre premium suae obedientiae reciperet exaltationem illam ad Dei dexteram. ita ut hic sit alter titulus, & altera causa gloriae Christi. Eodem modo accipiendum est. quod

est. quod dicit Paulus Christum constitutum esse super omnem Principatum, & omnia ei subiecta esse, & datum ipsum esse caput super omnem Ecclesiam. haec enim omnia de executione potestatis, non de ipsa potestate & iure intelligi oportet. Nam si de iure ipso agamus, nemo dubitare potest Christum non solum dignitate; sed & potestate fuisse super omnes Angelos & homines & potuisse ad libitum cuius hominum & Angelorum imperare quod vellet, fuisse etiam caput vniuersale Ecclesiae suae, cuius & proprius Pastor, sponsus, & redemptor fuit, verum suae huius potestatis executionem amplissimam eo usque distulit; quo ad in caelum conscenderet: tunc enim manifestè regnare cepit in caelo & in terra: & Ecclesiam suam, toto orbe diffusam administrare, missò primum Spiritu Sancto de caelo, deinde Apostolis, & aliis praedicatoribus ac ministris ipso cooperante, & sermonem eorum confirmante, sequentibus signis. Non igitur diuinitatem, aut diuinitatis partem acquisiuit Christus in caelum ascendendo, ut temerè deblaterant Aduersarij; sed solum diuinitatem suam quam semper habuit, re ipsa demonstrauit; & potestatis suae executionem, ex quo factum est, ut diuinus honor, & debita subiectio ei à toto mundo exhiberetur; quae est maxima Christi gloria. Quocirca absurde Ariani diuinitatem Christi in illa gloria diuina, & omnium subiectione collocant: non enim gloria illa est diuinitas; sed diuinitatis signum, & effectus, quasi quidam, cum propter eius diuinitatem omnis ei gloria, & subiectio debeatur. Et sicut honor virtutem consequitur, non verò est ipsa virtus, ita talis honor nempe diuinus diuinitatem consequitur non verò etiam ipsa diuinitas.

Christi quo-  
modo con-  
stitutus su-  
per omnes  
Angelos.

Diuinita-  
tem Chri-  
stus non  
acceptus est  
ascendendo  
in caelum.

Christum Ariani Deum non verum sed meta-  
phoricum faciunt.

## CAPVT XVI.

EX his quae haecenus diximus colligi facile potest, qualem Deum Ariani Christum esse velint. Etsi enim diuinitatem eius miris verbis extollunt: nihil tamen minus, quam diuinitatem ei attribuunt. Non enim faciunt Christum Deum verum sed Metaphoricum. Deus enim verus ab essentia diuina verus, dicitur: uti & qualibet alia res à sua essentia vera dicitur. Cum igitur Christo, Dei essentiam non concedunt Ariani, neque verum Deum esse concedant. Quod si aliquando ut suam blasphemiam tegant, fatentur Christum verum Deum: tamen id ita intel-

Fucus Aria-  
norum  
Non faciunt  
Christum  
Deum ve-  
rum.

ligi volunt, vel quia verè hoc est non fìctè Deus sit, vel quia non sit falsus Deus; non autem quod sit essentia Deus. Hoc enim Socinus suam suorumq; sententiam exposuit. Porro hoc sensu homines quoq; & Angeli Dij veri dicendi essent, cum & vere hoc est non fìctè Dij sint, & non falsi Dij: ex quo existet innumerabilis Deorum verorum contra scripturas multitudo. Cum igitur Ariani Christum verū Deum non fateantur, fatentur Metaphoricum. Id enim quod non ob essentiam sed ob similitudinem tale dicitur; Metaphoricè dicitur. Metaphora enim omnis in similitudine fundatur. Christum vero Ariani ob similitudinem cum Deo, Deum esse volunt, similitudinem inquam potestatis, honoris, sapientie Sanctitatis: uti Socinus in Refutatione Pauci latè exponit. Deum igitur Metaphoricum esse valent, ac ex consequenti improprium Deum, eog; tandem recident, illa tam magnifica encomia, & quidquid in Christi laudem & commendationem ab ipsis dicitur.

Scd meta-  
phoricum.

Talem Deū  
qui ex se nil  
possit.  
Dei mini-  
strum.

Ex se indi-  
gnum cul-  
tu nisi ex  
Dei manda-  
to.

Merum  
Dei vicariū  
generalem.

Deinde talem Deum Christum faciunt, qui ex se nil possit, sed in omnibus à Deo dependeat; quod est non solum Dei proprium notionem euertere, & manifestam contradictionem implicare, uti cap. 2. demonstrauimus; sed etiam est ex Deo, Dei ministrum facere. Quid enim aliud sit Dei minister, nisi qui ex se nihil, & omnia dependentier à Deo possit? Quare uti Regis Minister Rex dici, non potest; ita nec Dei minister Deus. Omnem verò potestatem quam Christo Ariani tribuunt, ministerialem esse volunt, utpotè à Deo dependentem: non igitur eius potestatis respectu Deus iure dici poterit. Aliam enim esse oportet potestatem Dei, aliam Ministri. Ad hac talem Deum Christum esse nolunt, qui pro Deo coli iure non possit. Nam tandem ad mandatum Dei recurrunt; ut Christum pro Deo coli posse statuunt: nihil ergo ante Dei mandatum habuit Christus ratione cuius pro Deo coli possit. Dicant igitur, mandato quoq; Dei Deum esse. Nam si ante Dei mandatū Deus erat; pro Deo coli poterat, alio mandato non expectato: aut si ante mandatum Deus non est, mandato igitur Deus erit, & mandatum Dei erit Christi diuinitas. Et quidem ante omne Dei mandatum concedunt Christo, similitudinem cum Deo in potestate, Sanctitate, sapientia. atquia hac vident ad diuinum cultum non sufficere, (alicui inumeri essent pro Diis colendi tam homines quam Angeli, qui suam quoque habent cum Deo similitudinem,) idcirco ad Dei mandatū recurrunt eog; posito Christum pro Domino iure coli posse affirmant scilicet iubere Deus potest ut quis pro Deo colatur qui alio diuino honore dignus non esset.

Denique Ariani, ut uno verbo complectar Christum, non Deum sed generalem

generalem Dei vicariam faciunt. Si quidem nihil illi amplius, quam quod ad generalem vicariam spectat attribuunt. Si enim aliquis esset Dei vicarius generalis; non aliam profecto potestatem haberet, præter eam, quam isti Christo adscribunt: nempe omnia Dei nomine & potestate administrandi. Quocirca eo ipso omnem Christi diuinitatem euertunt; cum illi nil amplius quam vicarij generalis munus concedunt. Nam quemadmodum vicarius Generalis Dei non est verus Deus; sed Dei minister & subditus. Pespiciant tandem miseri homines si quid sensus & rationis habent, quam abiectè de Christo Deo sentiant, & seposito errore ac cecitate Christum verum Deum cum cæteris omnibus fidelibus, aliquando tandem agnoscat.

## TERTIA PARS REFVTATIONIS DE FI- LIO DEI SECUNDVM CAR- NEM ET METAPHORICO.

**M**ULTIFARIAM multisq; modis Ariani in Christum sunt iniurij. Non enim solum diuina illum natura spoliunt, Deumq; Metaphoricum statuunt; sed & verum esse Dei Filium negant. Nam inprimis Christum secundum carnem Filium Dei faciunt; eo quod generationis ipsius, secundum carnem Deus fuerit author. Deinde vero Dei Filium factum esse dicunt sapientia Sanctitatis, dominij immortalitatis communicatione: qua quidem dona, quia nec semper, nec omnia simul, nec plenè ac perfectè habuit, idcirco, neque semper ea de causa Filius Dei fuit, neque mox perfectus & absolutus. Et quidem initio in infantia imperfectissima ratione fuit Dei filius, eo solum nomine, quod opera Dei conceptus & natus est; eo enim tempore neque sapientie neque sanctitatis, neque potestatis, aut immortalitatis vllam communicationem habuit. procedente verò ætate, Sanctimonia & sapientie donum consecutus est; sed tamen non omnino perfectè. Proficiebat enim sapientia & gratia. Quapropter illis ætatis suæ primordiis nec

De Filio  
Dei nouo-  
rum Aria-  
norum,  
Filius secun-  
dum car-  
nem.

Imperfecte  
filius.



*Perfectius in Resurrectione.*  
*In caelo perfectissime.*  
 dum perfecte Filius Dei extitit. in Resurrectione rursus donum immortalitatis & Domini consequutus, factus est iterum Filius Dei. Verum & tunc imperfecte nondum enim plenam immortalitatem habuit, cum comederet, & biberet, & oculis mortalibus spectabilis esset; & vulnera quae mortali corpore exceperat, retineret. Tandem in sessione ad dexteram Dei, plenam dictarum donorum possessionem adeptus, plene factus est Filius Dei. Hac isti, aliaque plurima de Filio Dei deblaterant, cum summa certe in Deum blasphemia, nec minori Christi iniuria atque ignominia. legi ea possunt apud Socinum in Resutatione Vusceci a folio 205. ad 246. quem caeteri Ariani in Polonia sequuntur.

Christum non esse Dei Filium secundum carnem  
 contra Socinum ostenditur.

## CAPVT XVII.

**A**bsolutè satis & contra scripturas à Socino asseritur Christum secundum carnem, seu carnalis generationis respectu dici & esse Dei Filium, quod eius secundum carnem generationis Deus fuerit author. Vult autem Socinus id proprie intelligi: ut in Christi generatione ex Virgine Deus proprio Patris munere sit factus; eaque actione, quae proprie generatio dici debeat. Non enim, inquit, negandum Dei virtutem in virginis uterum substantiam aliquam creatam immisisse, aut ibi creasse, ex qua, iuncto eo, quod ex ipsius virginis substantia sumpsit, verus homo generatus fuerit: qui propterea ut homo non matrem tantum, nempe virginem ipsam habuerit; sed Patrem quoque, nempe ipsum Deum. Quare hoc respectu. Vult Christum proprium & naturalem Dei unigenitum & Filium appellari, & vera ac perfectissima ratione ab ipso Deo generatum. Verum haec omnia & cum scripturis, & cum ratione manifeste pugnant. Scriptura enim expresse Christum non secundum carnem; sed secundum Spiritum Filium Dei appellat: ita ut secundum carnem sit ex semine David, secundum Spiritum vero sit Filius Dei. Itz enim habet Paulus Rom. 1. v. 3. De Filio suo qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum. Non ait Paulus. Qui natus est ei secundum carnem sed factus, secundum enim carnem non fuit verè genitus à Deo, sed factus. Porro cum ait ex semine David, non vult ex alia quadam materia vel semine, quod non esset ex semine Davidis, Christum secundum carnem genitum. Nam

*Christus non quoad carnem Dei filius.*  
*Ex Epistola ad Roman.*

etsi virtus Dei cooperata est generationi Christi secundum carnem, non tamen ea ratione, ut alienam materiam, quae seminis rationem haberet induceret: alioqui Christus non esset solum ex semine David sed ex alio quoque creato semine; imo magis ex alieno semine quam ex semine David. Sed id quod fecit virtus Dei est, ut ex sanguine, & materia virginis, tota Christi corporis fabrica coalesceret. Denique Paulus Antithesi illa secundum carnem & secundum Spiritum ostendit, quid Christo conueniret secundum carnem, quid secundum Spiritum. Et quidem secundum carnem ait ei conuenire, quod sit ex semine David, filius Davidis: secundum verò spiritum, quod sit Filius Dei. Quae sane oppositio nulla esset, si Christus secundum carnem quoque, esset Filius Dei. Dicere, & debuisset Paulus Christum praedestinatum esse Filium Dei tam secundum Spiritum sanctificationis, quam secundum carnem, si utraq; ratione Christus erat Filius Dei.

Idem Paulus ad Hebraeos 7. v. 3. Melchisedecum ait assimilatum Filio Dei in eo, quod sine Patre sine matre describitur. Quia nimirum ut omnes Graeci & Latini interpretantur, sine Patre in terris sine matre in caelis fuit Filius Dei. Nam quoad generationem suam secundum carnem, fuit ex Matre sine Patre: quoad diuinam vero generationem ex Patre sine matre extitit. Et si enim Melchisedech verè Patrem ac matrem habuerit: tamen ut assimilaretur Filio Dei, & melius illam representaret inducitur in scriptura absque omni commemoratione Patris ac matris, ac si Patrem ac matrem non habuerit. Quod multo verius Filio Dei debet conuenire. Nam in Melchisedeco figura tantum fuit, rei autem figurata veritas, in Christo. ita ut idcirco Paulus non dixerit Filium Dei assimilatum esse Melchisedeco; sed Melchisedecum assimilatum esse Filio Dei. Et quidem Melchisedecus ea solum ratione fuit sine Patre, sine matre, quod ista de illo non commemorantur. Hoc autem de Filio Dei non potest affirmari, cuius generatio, tam humana ex matre, quam diuina ex Patre commemoratur in scriptura. Alia igitur, ac multo veriori ratione Filio Dei esse sine Patre ac matre conuenit; ea nempe quam diximus, quamque omnes Sancti Patres & tota Ecclesia semper probauit. Frustra vero se torquet Socinus, cum ait Melchisedecum esse dictum sine Patre, sine matre non Filium Dei. Etsi enim de Melchisedeco id dictum est, tamen non nisi eo sine ut assimilaretur Filio Dei, ut expresse ait Apostolus, quemadmodum igitur caetera omnia quae de Melchisedeco refert Paulus, transferuntur, & multa maiori ratione in Filium Dei: ut quod Melchisedech

Antithesi  
 carnis & spiritus.

2  
 Ex Epistola  
 ad Hebr.  
 Christus sine  
 Patre in  
 terris sine  
 matre in  
 caelis.  
 Figura Melchisedeci.

Socinus responsio refutatur.

explicatur

explicatur, Rex iustitiae, Rex Salem, quod est, Rex pacis: Ita & hoc, quod sine Patre sine matre, sine genealogia, nempe initium dierum, neque sine vita habens, negari ergo non potest ex mente Pauli, Filium Dei aliqua, eaq; multa veriori ratione esse sine Patre sine matre. <sup>2</sup> **Responso** Melchisedecum sine Patre & matre induci, ad significandum Sacerdotium ipsius (de Sacerdotio enim ibi Paulus agit) non pependisse ab aliqua Dei promissione alicui certae familiae, aut generi facta, quemadmodum nec Christi Sacerdotium pendet. **Refellitur.** Verum etsi Paulus de Sacerdotio Christi eo loco agat; tamen non est necesse, ut solum de munere Sacerdotis loquatur cum etiam de dignitate personae huius Sacerdotis verba facere (viri reuera facit) non sit ab eodem proposito alienum. **Ad dignitatem personae Christi spectat,** quod sit Rex iustitiae, Rex pacis, quod admirabili ratione natus in terris quidem sine Patre, in caelis sine matre, quod (quantum ad caelestem illam generationem) nullam genealogiam habeat, quod neque initium dierum, neque finem vitae habeat, sed ab eterno & in aeternum existat. **Ad dignitatem personae id spectat.** Ea porro & omnia ad solum Sacerdotium recte accommodari non possunt. **Non ad Sacerdotem.** Quomodo enim Melchisedech ratione Sacerdotii sine Patre sine matre fuit? an quia ista de illis tacentur, eo consilio, ne intelligatur promissio Sacerdotii illius facta alicui familiae aut generi ex quo descenderit? quasi vero si Pater, aut Mater illius commemorata fuissent, statim sequeretur à Parentibus Sacerdotium illius perfectum ac derixatum esse. Reuera enim Patrem & Matrem Melchisedech habuit, & tamen Sacerdotium illius (secundum Socinum ipsum) à Patre & matre non descendit sed ab ipso inchoatum est, Deo id ipsum illi inspirante & providente. Certè Christi sacerdotis & Pater & Mater commemorantur & genealogia. & tamen Socinus non dicet Sacerdotium Christi à Parentibus descendisse. Quin etiam ex eo sequetur Melchisedecum non assimilatum esse Filio Dei, sed potius multum dissimilem factum, quod ille sine Patre & matre inducitur; Christus vero cum Patre & matre describitur: quod si ideo sine Patre sine matre induci dicatur, ut significetur Sacerdotium eius non descendere à Parentibus: in hoc certe non fuit assimilatus Filio Dei qui describitur cum Patre & matre, & tamen Sacerdotium eius non deriuatum est à Parentibus. <sup>1</sup> **Quis hic non videt figuram esse contrariam rei figuratae; tantum abest ut sit illi similis?**

<sup>3</sup> **Accedit quod illa alia quae Paulus adiungit; neque initium dierum, neque finem vitae habens, ad Sacerdotium accommodari minime possunt; sed ad personam Christi aeternitatem spectant, quomodo enim Melchisedech ratione Sa-**

ne Sacerdotii initium non habuit? Certum enim est Sacerdotium Melchisedechi initium ab ipso habuisse: cum ante ipsum tali ritu & ordine nemo sacrificauerit. alioqui ordo & ritus sacrificij Melchisedechiani non in ipsum; sed in alium ante ipsum auctorem referendus esset. Idcirco igitur initium non habuit, quia id non commemoratur; sed inducitur Melchisedech, ac si initium dierum non haberet, quid ita? ut assimilaretur Filio Dei, quomodo autem assimilabitur Filio Dei? nunquid Filius Dei initium dierum sui Sacerdotii non habuit? nunquid semper & ab aeterno fuit Sacerdos? Minime vero. Non igitur ad initium dierum Sacerdotii; sed ad initium dierum absolute, hoc est ad Christi illam, qua ab aeterno est, & absque initio temporis existentiam id totum referendum est. Quapropter & illud quod de Melchisedeco asseruit sine Patre sine matre, sine Genealogia eo retulisse videtur, ut ex eo ostenderet, Melchisedechum quodam modo, neque initium dierum, neque finem vitae habuisse, quasi nunquam à Parentibus esse coeperit & nunquam desinere possit; is enim qui nunquam esse coepit, nunquam etiam esse desinere potest. Et sicut ex eo quod Melchisedech commemoratur ac si finem vitae non habens, tacite infert Paulus Christi aeternitatem consequentem: ita ex eo quod Melchisedech inducitur ac si initium dierum non habens, significari necesse est aeternitatem Christi antecedentem quod sanè ad Sacerdotii aeternitatem adaptari non potest, cum certum sit illud ab aeterno non exitisse. Fateor Paulum inferre ex ea figura Melchisedechij etiam Sacerdotium Christi aeternum: sed mediate. Nam immediate aeternitas personae Christi, asseritur qua fuit sine initio dierum, & sine fine vitae; mediate vero futuri Sacerdotii Christi aeternitas. Ex eo enim quod in aeternum vivit ac permanet Christus, sempiternum quoque habet Sacerdotium, idque ad differentiam aliorum Sacerdotum, qui morte prohibebantur permanere, ne semper essent Sacerdotes, ut idem Paulus ait, quo impedimento Christus cum careat, Sacerdos quoque erit in aeternum, cum aequum sit Sacerdotium unum cum vita prorogari, & cuius vita finem non habet, neque Sacerdotium finem habere. Quod vero opponit Socinus si Paulus de initio non Sacerdotii, sed vitae loquutus fuisset, non dixisset initium dierum & finem vitae, sed initium & finem vitae: id nullius plane momenti est, cum satis constet idem esse initium dierum & vitae, diesque viventium esse ipsum tempus vitae. Ex his igitur manifestum est Figuram Melchisedechi id efficere, ut Christi generationem secundum carnem ex matre sine Patre fuisse fateri debeamus, nec Christum secundum carnem filium Dei fuisse.

Ex Christi verbis.

Hoc ipsum indicat alter quoque locus. Ioan. 10. Vbi Christus se Filium Dei qua Deus erat non qua homo disertè asseruit. Obiicientibus enim Iudeis Christo blasphemiam, quod se Deum appellaret. Christus respondit. cum scriptura homines Deos appellet se blasphemum non esse. Quia (inquit) dixi Filius Dei sum. Pro eo quod dicere debuerat quis dixi Deus sum (hoc enim & obiiciebatur, & excitato à Christo scriptura loco sequebatur) dixit: Filius Dei sum. Dicendo enim se Filium Dei, eo ipso dixit se Deum esse. Sicut enim Filium hominis oportet hominem esse, ita Filium Dei Deum. Si igitur Christum qua Filius Dei erat, necesse est Deum esse, secundum carnem autem nullo modo Deus esse potuit; consequens est secundum carnem non fuisse Filium Dei. Necesse est enim ex ratione Christum qua Filius Dei est, Deum quoque esse: adeo ut etiam homines cum filij Dei dicuntur. Dij quoque appellantur. Ego dixi: *Dij estis, & filij excelsi omnes.* Quocirca uti absurdum est dicere Christum secundum carnem Deum esse, ita quoque absurdum est illum dicere secundum carnem Filium Dei. Neque vero Christus, cum toties se Filium Dei diceret, unquam, vel legitur instituit se carne ex Deo natum esse; imò disertè Nicodemo respondit, quod natum est ex carne caro est; quod natum est ex spiritu, Spiritus est Ioan. 3. v. 6. quosatis indicat non posse quempiam à Deo nisi secundum Spiritum nasci. Quin adiuratus à Caipha Christus an esset Filius Dei, disertè affirmavit. Tu dixisti. *Affirmauit autem proculdubio secundum mentem, & intentionem illorum, & illo modo, quo ipsi blasphemum, & pœna mortis dignum putabant hominem dici Dei Filium.* Tum quod iuridicè interroganti iudici ad mentem respondendum est, præsertim quia tum de Dei ipsius honore agebatur; tum ne tacendo dedisse iustam suæ mortis causam videretur. Nunquam vero Iudæi putarunt blasphemiam, dici quempiam Dei Filium, sanctificatione & gratia: cum satis constaret in scriptura homines eo nomine appellatos Filios Dei. Verum id blasphemum arbitrabantur, ut ita quis dicatur Dei filius, ut sit quoque natura Deus, sicut Filius hominis est natura homo non igitur secundum carnem, sed secundum spiritum de Filio Dei agebatur Caipha interrogante, Christo sensum Caipha comprobante.

Ineptè Socinus probar Christum secundum carnem esse Dei filium.

CAPVT XVIII.

**A** Tenim (ait Socinus) Deus ipse fuit author generationis Christi secundum

Christus buam filius Dei, Deus est.

Nunquam Christi se filium Dei secundum carnem affirmavit.

secundum carnem Spiritu Sancto superueniente, & virtute altissimi obumbrante. Rectè sane, ex eo tamen non efficitur Deum munus proprium Patris in generatione obiuisse. Neque enim ad hoc satis est quocumque modo generationis esse auctorem; sed necesse est ut per communicationem propriæ substantiæ id fiat, parte aliqua substantiæ ad generandum exhibita, ratione cuius Filius caro de carne Patris, & sanguis de sanguine dicatur. Qui enim Filius esse potest, qui sanguine Patrem non attingat? quia, ne minimam quidem sanguinis paterni partem in se habeat? Sic enim Filius esset plane extraneus Patri, alienæque prorsus substantiæ. Neque enim Filius est solummodo effectus quidam Patris sed substantia de substantia, caro de carne. Quod si fratres idcirco dicuntur fratres, quod sint unus quodammodo sanguis ex uno sanguine paterno deriuatus: manifestum est generationem Filij, absque sanguinis paterni participatione constare non posse. Neque enim sola efficiencia in generatione filij spectatur; sed & sanguinis ac substantiæ paternæ communicatio: ut qui hoc neget, omnia in mundo confundat, necesse est, & solem in meridie neget lucere. Quare etsi Deus cum Parentibus ad omnem generationem concurrat sua efficiencia, plusque ad eam solus conferat virtutis, quam Pater atque mater: quod semper effectus oranis plus à causa prima dependeat, quam à secunda: non tamen propterea propriè Patris aut matris rationem habet, solum ex

Ad veram generationem requiritur substantiæ paternæ communicatio.

- 1
- 2
- 3
- 4
- 5

4  
44

generationem de sua substantia confert; sed solum potentiationi cooperetur. Denique Philosophi omnes in eo tantibus distinguunt: quod illa ex propria substantia, hoc ex substantia ipsorum procreatur, & ad substantiam ipsos fetus generant, hæc vero ex materia aliena, atque extranea ipsos prouocant effectus: ut cum ignis ex ligni materia alium ignem excitat. Quod discrimen cum ipsis sensibus pateat; non solum ratione sed sensibus destituisse videntur, qui id ad rationem generationis uiuentium non requirunt, ut ex propria substantia eorum à quibus sunt, generentur. Quamuis igitur ad Christi generationem Deus sua virtute & efficiencia concurreret, minime tamen Patris munus obiuisse propriè censendus est: cum ad eam generationem, propriam substantiam minime contulerit.

At inquit, Socinus, successit Deus vice viri ac Patris. Fateor, id enim innuunt illa Angelii verba, quibus respondet virgini neganti fas sibi esse virum cognoscere. Spiritus (inquit) Sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Hoc est, non vir aliquis assistet tibi in hac conceptione; sed Spiritus & virtus altissimi. Verum sicut Spiritus Sancti assi-

Deo fuit vice viri ac Patris.

M 2

stencia

Quod efficiam. Non quoad substantiam communicationem. *sentia suppleuit viri vicem, quo ad efficientiam & virtutem: ita nullo modo, quantum ad substantiam communicationem. Vir vero in generatione non solum efficiens est generationis; sed & de sua substantia generans Filium, quod in hac generatione cum non acciderit, nullo modo censendum est, Patris vices in ea proprie praestitas esse à Deo; quin potius neglectas, & in aliud commutatas, siquidem munus proprium Patris defuit, quod est ex propria substantia generare. Quare cum ait Socinus suppleuisse Deum vicem Patris, concedi potest; sed ita ut non simili; sed potius dissimili actionis genere, quam in Patrem conueniat, id factum intelligatur. Si enim simili qua Pater concurrere solet actione, Deus concurreret ad hanc generationem: nempe ut suam substantiam ad generandum conferret, verè Patris proprium munus obiret: at cum id Deo sit impossibile (quippe qui Spiritus sit, non caro) fatendum necessario est, Patris proprie vices non obliuisse. Non enim dissimili, sed simili actione paternum munus & officium quis consequitur.*

Socini impudentia. Ex sola virgine Christus carnis materiam accepit.

1

2

3

*Maiores Socini error est, & ius prudentia cum audet affirmare Spiritum Secundum aliam quandam substantiam in uterum virginis immisisse, vel ibi creasse, ex qua Christus iuncto eo qui de ipsius virginis substantia sumpsit, verus homo generatus fuerit. Quid absurdius dici potuit? si ita est, Christus non ex semine Dauid secundum scripturas; sed ex alio quoquam, quod ex Dauide non sit semine: imo magis ex alieno quam ex materno semine natus est. Hanc enim substantiam, quam Socinus fingit, paterni seminis vicem suppleuisse, dicendum esset: in generatione vero humana potiores partes sunt paterni quam materni seminis. Angelus vero num materiam aliquam generationis, & non solam Dei virtutem virgini promittit? Virtus, inquit, altissimi obumbrabit tibi virtute igitur atque potentia, non materia atque substantia perfecta est, à Spiritu Sancto hac generatio. Quae autem huius substantiae immittenda, aut creanda necessitas? Nam ut daretur materia corpori Christi formando, at sufficientem materiam ipsa virgo Mater praebuit; magis, decebat ex purissimo sanguine virginis immaculatae Filium Dei concipi, quam alienam materiam ad eum finem adsciscere, nisi forte credamus vel virgini tantum sanguinis defuisse, qui exiguo Christi corpusculo, quod vix nucis magnitudinem tum excedebat, sufficeret, vel decentius ex alia quapiam materia Christi corpus formari potuisse quam ex ipsa virginis ad id electa & sanctificata substantia. Nam ut virtute talis substantiae corpus Christi formaretur? At, ut omit- tam, quod talis substantia cum virtute formatiua, verum & proprium semer*

*semen esset idq; virile, (quod aures Christiana in hac immaculata conceptione qua nullo virili semine maculata est, ferre non possunt) nusquam utique scripturae virtuti alicuius seminis, sed virtuti ac assistentiae Spiritus Sancti hanc conceptionem attribuit. Denique omnium Christianorum is est communis sensus, atque Fides, Christum non ex virili semine conceptum esse, non solum quod virgo virum non cognouerit, sed quod neque semen virile in se exceperit: Christusq; idcirco semen mulieris, & factus ex muliere dicatur: quod ex sola virginis substantia sit progenitus. Non est igitur fas de hac Sancta & mirabili conceptione aliud cogitare, nisi totam formam corpori Christi necessariam substantiam virginem suppeditasse; vim verò agendi calitus à Spiritu Sancto adfuisse. Effecisse verò Spiritum Sanctum non solum, ut Christi corpus perfecte formaretur; sed etiam, ut virgo sine labe pudoris, hoc est absque omni libidinis sensu, & integritatis iactura conciperet; & insuper eum conciperet, qui esset verus & aeternus Dei Filius. Diuina enim Filij Dei persona caro illa Spiritus Sancti virtute fuit unita, ut eam ob causam dixerit Angelus virgini: Quod ex te nascentur Sanctum vocabitur Filius Dei.*

*Iam igitur ex his quae diximus concludi nullo negotio potest, Christum ob eam actionem, quam Deus ad generationem ipsius adhibuit, non posse dici proprie Filium Dei. Ut enim quis Filius alicuius dicatur, non satis est quod ab illo aliquo modo productus sit; sed opus est praeterea eo modo produci, quo viuientia produci solent à viuentibus, nempe ut de substantia ipsius producat; & in similitudine naturae. Filius enim est caro de carne Patris, & vnus cum eo sanguis. Neque vero satis est de substantia alterius produci, nisi etiam similis in natura producat. De substantia enim hominis nascuntur pili, ungues, vermes: quae tum Filij nomen non merentur; solum ex eo, quod non sint in natura similia, ita ut haec duo omnino ad Filij rationem necessaria sint de substantia alterius & similem illi in natura generari. Quae duo cum in hac Christi generatione respectu Dei non inueniantur, non potest ea propter Christum dici Filium Dei secundum carnem. Deus enim sua actione, non ex sua, sed ex matris substantia Christum produxit; neque sibi sed matri similem fecit: quamobrem non suum, sed Matris secundum carnem Filium fecit. Nam quod ait Socinus, Actionem illam qua Christus homo productus est fuisse verè & proprie generationem, verum est, si ad matrem refertur, non verò si ad Deum, nam per illam actionem ex matris substantia, & matri similis Christus productus est, non vero de substantia Dei, aut Deo similis secundum carnem:*

M 3

nem:

4  
Tria effecit Spiritus Sanctus in virgine.

Viuentia de substantia viuientium & similia in natura generantur. Vtrumque de est in Christi generatione secundum carnem. Actio qua Christi generatus est. Matris respectu fuit generali.

Dei respectu simplex productio. nem: qua duo ad rationem generationis constituendam requiruntur. Ex parte igitur matris erat vera generatio, ex parte vero Dei simplex tantum productio. Simili enim modo in omni alia generatione, actio illa Dei, quam cum Patre & matre ad generandum concurrat; et si multo perfectior sit actione Patris ac matris, non tamen proprie dicitur generatio Dei respectus; sed simplex productio, neque propter eum is qui gignitur Dei Filius dicitur siquidem esse Filium alicuius est; non solum ab illo produci; sed & de substantia ipsius nasci, & similem in natura. Quare neque Angeli; etsi a solo Deo producti sint, filij Dei naturales idcirco dici possunt: neque Adam aut Eva etsi ab ipso Deo sint conditi. Respondet Socinus. Angelos & Adamum non genitos; sed creatos esse à Deo, ideoque non esse naturales Dei Filios. Verum ea responsio difficultatem non tollit. Nam si Angeli idcirco non dicantur geniti à Deo, quod ex Dei substantia, & Deo in natura similes non sunt producti; eadem prorsus ratione Christus secundum carnem à Deo genitus non erit; sed à matre, cum non ex substantia Dei sed matris sit genitus & Matri non Deo in naturam similis ex quo fit, ut non Dei sed matris sit Filius secundum carnem. Quod si id ad rationem generationis non requiratur; nihil obstat, quo minus Angeli & Adam per creationem à Deo producti, Filij Dei naturales proprie dici possunt. Creatio enim ideo generatio non dicitur, quod non sit ex substantia viventis cum similitudine natura. Addit Socinus, in productione Angelorum & Adami Deum non supplese vicem seminis alicuius, uti in generatione Christi. At dicendum est si de Angelis sit sermo, verissimum esse Deum nullius seminis vicem supplevisse, neque enim Angeli ex semine aliquo procreantur; imo à nullo agente, præterquam à Deo per creationem ex nihilo produci possunt. Adam vero etsi ex semine produci potuerit more aliorum hominum; tamen à Deo sine semine productus est. Quia tamen non eo modo atque actione, quo ex semine aliqua sunt, productus est: idcirco eius productio non fuit verè ac proprie generatio, nihilominus Dei virtute, effectum est, quod seminis virtute fieri debuit, quo sensu vicem seminis quodammodo supplese Deus dici potest. Porro in generatione Christi hominis, eadem ratione Deus supplevit vicem seminis, quia divina virtute effectum est, quod à semine fieri debuit. Hic tamen supplendi modus propriam generationem non facit. Nam si generatio ex semine, idcirco proprie generatio dicitur, quod id quod producitur ex substantia producentis, si que in natura simile producat: profecto si ita seminis defectus suppleatur; ut nulla alia substantia vim propriam seminis habens substituatur; sed sola

Quid sit esse verum Filium.

Nam Angeli & Adam Filij Dei.

Confutatur Socinus.

sed sola actio extrinseca; talis suppletio non est proprie generatio, sed simplex productio; cum generatio sensu id exposcat, ut ex substantia producentis fiat productio. Quare etsi vicem seminis in generatione Christi Deus suppleverit: non tamen ea propter proprie generantis vices explesse credendus est, sed deseruisse potius: cum non ex sua; sed ex virginis substantia Christum hominem produxerit. Quod si idcirco Christus dicitur esse proprie Dei filius: quod in ipsius generatione Deus viri vicem suppleverit, maiori ratione Adamus dicitur Filius Dei, in cuius productione, non viri solum; sed & Famine vices Dei virtute suppleresunt. Aut si Adamus eo nomine improprie & Metaphorice dicitur Dei Filius (ut Luca 3. v. 28. de ipso dicitur. Qui fuit Dei subintellige, Filius) eadem quoque ratione Christus eo nomine Filius Dei improprie ac Metaphorice dicitur.

Angelus Christi conceptionem de Spiritu Sancto prædicens, à calumniis Socini defenditur.

## CAPVT XVIII.

Verum enim vero Angeli verba profere facere Socinus arbitratur, qui postquam Spiritum Sanctum superuenturum, & virtutem altissimi obumbraturam nunciauit; tandem adiecit. Ideoque & quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei, ac si dicitis verbis causam indicarit, propter quam sit vocandus Filius Dei, nempe quod de Sancto Spiritu sit conceptus. Sed fallitur Socinus. Primo, nunquam ob eam causam vocatus est a quoquam Christus Filius Dei. Nam Divus Ioannes exponens, quomodo Christus Patrem suum diceret Deum addit: Equalem se faciens Deo non enim autem equalis Deo in carne sed in diuinitate. Et Iudei cum Christum ea propter lapidare vellent, id tanquam blasphemum; exprobrabant: quod homo cum esset diceret se Deum non quod ex Spiritu Sancto se conceptum diceret. Christus etiam cum ait se absque blasphemia dixisse: Quia Filius Dei sum, non recurrit ad conceptionem de Sancto Spiritu; sed ait. Quem Pater sanctificauit & misit in mundum vos dicitis quia blasphemus, quia dixi Filius Dei sum. Idem à Caipha & concilio adiuratus, ut diceret, an esset Filius Dei? respondit. Tu dixisti. Caiphas certè cum Iudeis non interrogabat de Filio Dei secundum carnem ex Deo concepto, quare nec Christus talem Filium Dei se falsus est esse. Secundo, ut recte nostri Catholici argumentantur si eam ob causam Christus est Filius Dei, quod ex Spiritu Sancto conceptus est, inde sequetur Christum esse Spiritus Sancti Filium, is enim erat au-

Christus nusquam dicitur Deo Filius, quod de Spiritu Sancto sit conceptus.

Spiritus Sā-  
ctus vera  
persona.

thor generationis Christi, quare & Pater Christi appellandus esset, duosq; Patres Christus haberet. Deum Patrem & Sanctum Spiritum. Neque aliter se ab hoc argumento expediunt, quam negando Spiritum Sanctum esse Personam à Patre distinctam, cum sit virtus & efficacia Patris, eiq; vel Metonimicè vel per Prosopopœiam ea quæ Patris sunt, tribuuntur. Verum hoc quid aliud est, quam cum scripturis manifeste pugnare? ea siquidem docent, Spiritum Sanctum mitti à Patre ut personam loquentem, audientem, annunciantem, docentem. Non enim (inquit Christus Ioan. 15. v. 15.) loquitur à semetipso. sed quæcumq; audiet, loquetur & annuntiabit vobis. Certe enim necesse personam, esse quæ audit loquitur, annunciat clarificat, &c.

Angelus nō  
causam sed  
signum in-  
dicat.

Iam si verba Angeli expendamus nihil profecto continebunt ex quo colligi possit illum admirabilem conceptionis ex Spiritu Sancto modum fuisse veram causam, ob quam Christus fuerit Filius Dei. Nam si illa particula (Ideoq;) plus æquo urgeatur: quis non videt eam particulam non semper veram causam, sed plurimum consequentiam seu ut Dialectici loquuntur causam scienti indicare. Id enim ex quo quocumq; modo sequitur aliquid consueuimus causam illius rei nominare quamuis illud sit signum vel effectus; aut quidvis aliud cum re illa connexum. Sic Nicodemus: Propter opera quæ Christus faciebat, concludebat ipsum esse à Deo missum. Nimirum opera Christi erant signa certissima, & effectus diuinitatis ipsius, & tamen à Nicodemo pro causa asseruntur. Ioan. 3. Scimus inquit, quia à Deo venisti Magister. Nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Quantumuis igitur urgeant Ariani voculam illam. Ideo; non sanè efficiant, indicari ab Angelo veram causam, sed siue causam, siue signum aliquod aut effectum, aut proprietatem cum re connexam. Id quod nos etiam hoc loco facile concedimus, innui ab Angelo conceptionem illam de Spiritu Sancto tanquam signum futuri Filij Dei. Qui enim tam admirabili ratione concipiendus erat, Sancto Spiritu superueniente in virginem, signum erat non Futurum illum communem hominem sed Filium Dei. Neque enim vel Deum nisi ex virgine nasci decuit, neque virginem parere nisi Deum. Negat Socinus esse connexionem inter partum virginis & Dei Filium: quid ni enim (inquit) virgo parere non potuerit purum hominem? aut si Deum paritura erat, cur potius Dei Filium, quam Patrem aut Sanctum Spiritum? At si de connexionem ex natura rei sit sermo; fatendum est eam nullam esse. Est autem connexio ex Dei voluntate cum congruentia probabili. Deus enim

Connexio  
inter par-  
tum virgi-  
nis & Filiū  
Dei

enim voluit partum virginem ornare tali prole. Et quia in iis quæ ex voluntate pendent, ratio facti, est voluntas facientis; idcirco non est querendum, cur non Pater aut Sanctus Spiritus, sed Filius Dei sit de virgine natus, ita enim placuit Deo. decuit autem eam potissimum inter diuinas personas id munus subire, quæ ad homines, salutis ipsorum causa missa est, quæ fuit persona Filij Dei.

Verum si pergit Socinus esse nobis molestus, quasi veram causam illis verbis Angelus reddiderit, propter quam Christus dicendus sit Dei Filius, ne hoc quidem concessio efficiet aliquid. Dicemus enim duo effecisse Sanctum Spiritum superueniendo in virginem, alterum est, quod virgo virum non cognoscendo ex virtute Spiritus Sancti conceperit. alterum quod non alium quam ipsum Dei Filium conceperit Spiritu Sancto carnem humanam uniente personæ Filij Dei. Vtrumq; Angelus attigit, primum quidem cum Sanctum Spiritum superueniturum, & virtutem altissimi ei obubraturam dixit, iudicans virginem ex Deo non ex viro concepturam. posterius autem (quod secundum diuinam ordinationem ex priori consequitur) illis aliis verbis expressit. Ideoq; & quod ex te nascetur Sanctum vocabitur Filius Dei. Ut enim notat Epiphanius, vocula Et, non est solum coniunctionis nota, cum præcesserit particula coniunctiua, ideoq; sed emphasim habet, ut sit sensus: Etiam quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. Hoc est, non solum quod natum est ex Deo ab æterno, sed etiam quod ex te nascetur, vocabitur Filius Dei; quia scilicet illum ipsam Dei Filium, qui ex Deo natus est ab æterno Deus, tu in tempore concipies & efficies hominem. Verbum enim caro factum est. Quapropter si iis verbis causa indicatur propter quam Christus sit Filius Dei, ea erit humane nature cum personæ Filij Dei unio operæ Spiritus Sancti effectus. Non igitur potest ex eo loco concludi, quod vult Socinus Christum secundum carnem vocandum Filium Dei; cumq; alium locum scripturæ ad id asserendum Ariani nullum habeant facile apparet, eos omni scripturarum testimonio destitui, & sui capitis signenta pro fidei articulis nobis venditare.

Spiritus fe-  
cit.

Ve virgo  
conceperet.

2  
Ve non 2.  
lum quæ  
Filiū Dei

Ariani Christum Filium Dei Metaphoricum faciunt.

CAPVT XX.

CVM satis constet ex dictis Christum non secundum carnem sed secundum Spiritum dici Filium Dei; Ariani alium modum excogitant

N

tant

Propter similitudinem non dicitur proprie Filius. runt quo Christus dicatur Dei Filius: nempe ob similitudinem cum Deo sanctitatis, sapientia, potestatis, immortalitatis: quod quid aliud est, quam Metaphorice & improprie dicere Christum Dei Filium? Nam & nos ea ratione dicimur Filij Dei, propter diuinae gratiae, & donorum participationem, neque tamen ea proprie; sed Metaphorice dicimur Filij, utpote adoptiui & non veri.

Sed Metaphorice  
Quid sit id, cuius ratione dicimur Filij Dei. Non sumus Filij extrinseca Dei beneuolentia. Vi vero id manifestius fiat exponendum est, quid illud sit ratione cuius nos Filij appellamur. Et quidem illud certum est, nos non extrinseca solum participatione diuina, sed intrinseca regeneratione dici Filios Dei. Etsi enim homines cum aliquos pro Filiis acceptant, nihil illis in anima, vel in corpore communicant, quo efficiantur Filij, sed extrinseca solum voluntate, ac beneuolentia pro filiis eos habent atque ut Filios diligunt, & bonorum suorum heredes faciunt: Deus tamen cum nos pro Filiis acceptat non extrinsecam solum beneuolentiam nobis exhibet; sed nos intrinsecus in anima renouat, atque regenerat: & sic suos Filios re ipsa facit. Id passim scripturae docent. D. Ioan. ait, 1. Ioan. 3. v. 1. Vide te qualem charitatem dedit nobis Deus, ut Filij Dei nominemur & simus.

Sed re ipsa per generationem spirituales. Non igitur solum nominamur, hoc est, pro filiis reputamur; sed & re ipsa Filij Dei constituimur & sumus. Idem D. Ioan. in initio sui Euangelij postquam dixit, Christum dedisse nobis potestatem Filios Dei fieri mox exponit, quales Filij, & quomodo efficiamur. Qui inquit non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo nati sunt. Non igitur solum acceptamur pro filiis; sed vere nascimur Filij Dei ex Deo, nasci enim non est reputari; sed acquirere intrinsecum aliud quod esse. Quocirca Christus Ioan. 3. ait esse necessarium nos renasci ex aqua & Spiritu Sancto. Hoc vero modo renascendo ait nos effici Spiritum: sicut qui nascuntur ex carne, efficiuntur caro. Quod inquit natum est ex carne, caro est, quod natum est ex Spiritu, Spiritus est: eo ipso indicans nos hoc modo renascendo acquirere quoddam esse Spirituale: Quam ob causam Baptismus dicitur lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti quem effudit in nos abunde ut iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitae aeternae. Idcirco etiam dicimur fieri in Christo noua creatura, nouus homo, qui secundum Deum creatus est in Sanctitate, & iustitia veritatis, quae sane ostendunt, nouum quoddam esse communicari hominibus tum efficiuntur Filij Dei.

Porro est innumera sint Dei dona quae hominibus, communicantur, non omnia tamen eam vim habent, ut homines Filios Dei constituant. Plurima

Plurima enim ex eorum numero sunt, quae etiam impiis communicantur, quos tamen certum est non esse Filios Dei. quare nec donum Prophetiae, nec donum miraculorum Filios Dei facit, cum multi eiusmodi donis praediti audierint die Iudicij, nescio vos, quod non essent proculdubio audiu-ri, si essent Filij Dei. Si enim Filij & heredes. Rom. 8. v. 19. Ad Corinthios vero prima Epistola cap. 13. Apostolus, omnia dona, charitatis respectu nihil esse, nihilque homini prodesse pronunciat. Nullum igitur aliud donum per se acceptum nos efficit Filios Dei, alioqui non esset verum nobis nihil vel parum prodesse: multum enim prodesset, si nos efficeret Filios Dei. Quapropter neque donum linguarum eam vim habet: etiamsi tam excellens esset, ut homini facultatem linguis hominum & Angelorum loquendi conferret; neque donum Prophetiae, & omnium mysteriorum notitia, neque omnis scientia, neque omnis fides, etiamsi tanta esset, ut montes transferret; neque alia virtutes à charitate distincta; etiamsi quis omnes facultates in cibos pauperum distribueret, & traderet corpus suum, ita ut ardeat. Recte igitur Sacri Theologi ex Scripturis docent, solum charitatem inter omnia Dei dona facere homines filios Dei. per eam enim diligimus Deum amore supernaturali, clamantes ad eum: Abba Pater, & vicissim diligimur à Deo habentes charitatem, quae est pignus, & Spiritus adoptionis filiorum Dei. Nihil enim maius praestari, nobis à Deo potest, quam ut simus Filij eius, per charitatem diffusam in cordibus nostris à Sancto Spiritu qui datus est nobis. Quos enim eo beneficio dignatur; ut eum possint amore filiorum diligere: eos proculdubio ipse ut Filios diligit. Et quamuis nonnulli Theologi donum gratiae, quo Deo grati efficiuntur à dono charitatis re distinguunt; illudque in essentia anima collocant, cum donum charitatis sit in voluntate, tamen iidem, ita haec duo dona volunt esse conexas; ut nullo modo ab inuicem auelli & separari possint. Alij vero Theologi, utrumque eidem charitati tribuunt qua nos & amare Deum & amari à Deo, seu gratos esse Deo faciat, ita ut charitas sit ipsa gratia, qua Deo sumus grati & amabiles. Donando enim nobis Deus charitatem donat nobis cor. Spiritum & amorem filiorum ac propterea dignos tales facit; quos ut filios diligit. Alia igitur dona si charitatem antecedant, non faciunt Filios Dei. Cum teste Paulo nullum donum absque charitate prodesse possit: Si sequantur, sunt dona Filiorum Dei, non dona Filios Dei efficiunt. Quare neque aliae virtutes neque gratiae quae dicuntur gratis datae, neque ius hereditatis aeternae proprie facit hominem Filium Dei, cum & ipse Paulus prius nos dicat esse Filios tum heredes:

Nullum donum praeter charitatem facit nos Filios Dei.

1

2

Gratiae & charitatis conexas.

Charitas cor filiorum Dei.

N 2

heredes:

heredes: imo ex eo quod sumus filij, esse ex eo consequenti heredes. Si filij (inquit) & heredes. Sola igitur charitas, secundum scripturas, facit nos filios Dei, ei enim Paulus tantum tribuit, ut sine illa quævis Dei dona nihil prodesse possint: ex illa vero cætera tanquam ex radice oriuntur. Ipsa porro secundum se cum homini tribuat potestatem amandi Deum amore filiorum supernaturali; eo ipso tribuit homini esse Filium Dei. Tunc enim sumus filij Dei, cum Deum ut filij amamus, tunc accipimus Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba Pater, cum accipimus a Deo charitatem, in qua Deum ut Patrem invocamus, & cum filiorum amore prosequimur.

Nec sapientia nec potestas facit nos Filios Dei.

Hæc igitur doctrina, uti ex scripturis verissima, constituta, non difficile est iudicare, quantum à vero aberraverit Socinus cum suis sequacibus statuens Christum per aliorum donorum adaptionem, nempe sapientia, potestatis, immortalitatis, factum esse filium Dei. Si enim alij homines cum similia dona à Deo assequuntur, non dicuntur propterea Filij Dei. Vti ex Paulo demonstravimus: sed solum cum charitatem habent diffusam in cordibus suis per Spiritum Sanctum, qui datur eis; neque de Christo id verisimili vlla ratione credi poterit. Quare cum Paulo audeamus dicere; neque sapientiam omnem esse aliquid; neque potestatem omnem; nec immortalitatem secundum se spectata sine charitate sine qua omnia nihil valent, & cum qua omnia valent plurimum. Nullo igitur modo potestas, sapientia, immortalitas, Christum filium Dei constituere potest. Nam si ad constituendum filium Dei valerent ista; profecto non nihil, sed plurimum valerent. Cum neque ipsa charitas, quam summe Paulus extollit præ omnibus, plus aliquid valeat. Fingamus igitur Christum summa sapientia, potestate, immortalitate præditum; charitate vero (quod impossibile est) destitutum. Profecto iudice Paulo statueremus hæc omnia in Christo non esse tanta, ut Christus Filius Dei ea propter decatur, cum sine charitate ista omnia nullius sint momenti. Nam quod ait Socinus, hominem fieri filium Dei, propter similitudinem cum Deo, iam responsum est: non quamcumque similitudinem ad id satis esse, ut quis dicatur Filius Dei, cum etiam in malis (qui filij Dei non sunt) reperiatur similitudo cum Deo potestatis, & sapientia. Porro Deus homines filios suos facit scripturæ teste tunc, cum illos diligit, & ipsis reconciliatur: atque dilectionis filialis donum illis infundit. est vero id donum, diuina illius dilectionis, qua seipsum Deus diligit, participatio & similitudo quædam. Quamquam similitudo proprie in ea, que secundum naturam est generatione spectatur ad eam vero que est ex acceptatione, satis est, ut quis simili modo ut Filius dili-

Que similitudo cum Deo est in Filiis Dei.

lius diligatur, & in felicitatem ac bona Filij succedat; etiamsi re ipsa non sit verus ac proprius Filius.

Fidei quoque passim in scriptura iustitia attribui solet, & his qui credunt in Christum factam esse potestatem filios Dei fieri ait D. Ioannes. Ioan. 1. v. 12. Verum id non eo sensu accipiendum est, ac si iustitia sola Fide contineatur, sed quod Fides initium sit iustificationis neque nisi media Fide iustitia obtineatur: per fidem enim peruenitur ad alia media, quibus iustitia proxime obtinetur. Disertis namque verbis fatetur Paulus, omnem fidem sine charitate nihil esse nihilque valere ad salutem consequendam, solamque fidem qua per charitatem operatur valere plurimum, Gal. 5. v. 6.

Fides quomodo faciat Filios Dei.

Instat Socinus, eos qui donum immortalitatis consequuntur scriptura teste fieri filios Dei. Ita enim putat dicere Diuum Ioannem, eis qui credunt, & qui ex Deo nati sunt, factam esse potestatem filios Dei fieri in altera vita, per consequutionem immortalitatis. Verum Diuus Ioan. non id affirmat; sed credentibus factam esse potestatem, ut per fidem perueniant ad statum filiorum Dei, & talium filiorum, qui non ex voluntate carnis; sed ex Deo nascuntur quod omnibus credentibus in hac vita conuenit. Affert & alium locum. Rom. 8. v. 23. Adoptionem filiorum expectantes redemptionem corporis nostri, quasi in Resurrectione corporum adoptionem filiorum fiat; & non potius impleatur ea, siquidem lege adoptamur in filios Dei, cum iustificamur; ut etiam in corpore suo tempore liberandi simus, à seruitute corruptionis, qua liberatio cum fructus sit & effectus adoptionis, adoptio dicitur. Quod vero adducit ex Luca c. 20. v. 36. eos qui digni habiti fuerint in illo futuro seculo & Resurrectione ex mortuis, esse Dei filios, cum sint filij resurrectionis: his verbis indicatur, resurrectionem esse signum non causam, propter quam homines sint Filij Dei. Resurrectio enim illa ad vitam immortalem non nisi filius est promissa, recteque tanquam ex signo ostenditur illos esse filios Dei; quum sint Filij resurrectionis. Et sane immortalitas illa in resurrectione donum est corporum. Nos vero scriptura filios Dei non carne sed spiritu esse docet. Sic enim docuit Christus Nicodemum: Quod natum est ex carne, caro est, quod natum esse ex Spiritu Spiritus est; indicans regenerationem nostram qua nascimur filij Dei esse Spirituales, & non efficere carnem; sed Spiritum.

Immortalitas non facit Filios Dei.

3

4

Sed demus Socino (et si falsum est) illam communicationem sapientia, potestatis, immortalitatis constituere Christum filium Dei: ex eo tamen non sequitur proprie, sed Metaphorice Christum dici Filium Dei: Nam

N 3

eadem



eadem rationes in nobis quoque inveniuntur; neque tamen propter eas proprie Filij Dei dicimur; sed Metaphoricè tantum.

Christus enim adoptionis non est filius proprie, sed Metaphoricè: idcirco enim dicitur filius, quia sicut filius amatur, habetur, & ad bona admittitur. Solus autem naturalis est verè & proprie filius. Quam vero absurdum sit Christum Metaphoricè filium Dei asserere vel inde patet, quod alias non verus nec proprius nec unigenitus Dei filius dici posset, uti neque nos dicimur, ut infra demonstrabimus, totaq; Maiestas & dignitas Filij Dei ea ratione euerteretur. Accedit, quod ex eo sequeretur Christum communis aliis hominibus ratione dici Filium Dei. Aliis enim etiam hominibus divina sapientia, sanctitas, potestas, immortalitas communicatur: qua eisi perfectiora sint in Christo quam in aliis, verè tamen communia sunt Christo cum aliis. Quomodo igitur Christus dicitur unicus, unigenitus Dei Filius, si sui similes innumeros habet? neque enim obstat quod ea dona longè perfectiori ratione habeat; cum absolutè ea dona sint illi cum aliis communia, & solum secundum perfectionem maiorem illi soli propria. Porro cum quis unicus vel unigenitus Filius dicitur, absolutè ratio filij spectatur: non verò maior aliqua perfectio. Quare sicut si inter Philosophos omnes sit unus sapientissimus, & omnium maximus, nemo absolutè dixerit unicum esse Philosophum in mundo: cum innumeri sint alii. Sed si ob perfectionem sapientie illum solum designare velimus, non dicemus unum esse Philosophum absolutè; sed talem tantumq; qui omnibus aliis præstat, esse unum. Constimili ratione, Christus unicus Dei filius absolutè non dicitur, propter dona cum cæteris communia: quod si propter maiorem donorum perfectionem unicus dicendus esset, id non absolutè; sed verbis illa maiorem perfectionem significantibus exprimi oporteret.

Socinus enim commemorasse quæ ad Filij Dei rationem non spectant: ut sapientiam, potestatem, immortalitatem, id vero quod potissimum est in Filio Dei: quod ad essentiam Filij Dei constituendam pertinet, studio quasi quodam præterisse, Charitatem inquam, quæ est cor, vita & essentia filiorum Dei. Etenim si Christus accidentaria illa ratione Filius Dei esset; non a'ia procul dubio, quam Charitatis dono esset. Charitate siquidem diffusa per Spiritum sanctum in cordibus nostris efficimur Filij Dei. Id verò à Socino in silentio præteritum est, ac si ad rem non faceret, & sine eo Filius Dei esse quis posset.

Denique ex ea Socini assertione illud etiam consequitur, Christum esse

Christus non potest dici metaphoricè Filius.

Christus unigenitus Dei Filius propter dona cum aliis communia non dicitur.

Socinus commemorasse propter modum quo Filij Dei constitimur.

esse Filium Dei adoptivum. Nos enim idcirco dicimur filij adoptionis, quod cum natura non essemus filij, gratia & benevolentia Dei facti sumus filij. His enim tantum duobus modis efficimur Filij, vel natura, vel gratia: esse autem filium gratia, est esse filium adoptione, cum adoptio libera & gratuita voluntatem designet. Porro Socinus Christum talem filium Dei statuit: qui cum natura non esset illomodo filius, factus est Filius donorum communicatione. Ex quo sequitur esse Filium adoptione. Respondet Socinus: Filium adoptivum proprie dici illum, qui pro Filio habetur; cum tamen non sit filius. Christus autem re ipsa est Filius Dei, cum sit ex Deo genitus. Verè in hoc quoq; graviter errat, ut enim quis adoptivus dicatur alicuius Filius, id solum requiritur, & sufficit, ut cum natura non sit eius Filius, fiat gratia & voluntate: siue id fiat extrinseca acceptantis voluntate, ut inter homines accidit, siue intrinseco dono ei collato; qua ratione Deus acceptat in Filios, quos sua gratia & Charitate donat. Certè scriptura nos filios Dei adoptivos non semel nominat: quum tamen consuet non acceptari solum; sed etiam generari, & esse Dei filios. Rom. 8. v. 15. Accepistis Spiritum adoptionis Filiorum in quo clamamus Abba Pater. & v. 23. Adoptionem filiorum expectantes. Gal. 4. ut adoptionem filiorum reciperemus. Eph. 1. v. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum. Porro scriptura de adoptione improprie loqui, cum nobis adoptionem filiorum tribuit, nemo præter Socinum dixerit. Etenim adoptari in filium nil aliud est quam gratia, & beneplacito alicuius Filium esse; & omnino admitti in filium, qui natura conditione talis non erat. Nam quod ait adoptivos filios non generari, non advertit discrimen inter Dei & hominum gratiam. Hominum enim gratia nullum in eo qui amatur donum ponit. Deus vero quos amat, & in gratiam recipit dono quodam singulari, quod gratia sanctificans Theologis dicitur, eos afficit; & quasi novos homines, & novas creaturas facit novis donis & decoribus exornatos. Hinc fit, ut adoptatio divine gratia, hominem remouet, & regeneret, quod humana gratia non præstat. Quocirca & illud mate negatur à Socino, quod à Bellarmino cæterisque Theologis asseritur, Angelos esse adoptivos Dei filios, Sunt enim filij non natura, sed gratia, & ex Dei voluntate admissi in filios: quod quid aliud est quam adoptari? Non sunt inquit Angeli nati, sed creati, quasi vero in Angelis non aliud sit natura, aliud gratia. Etsi enim quoad naturam Angelos creatos credamus, tamen quo ad gratiam & ipsos ex Deo natos esse, quemadmodum & nos dicere debemus.

Sequeretur Christum esse adoptivum Filium.

Socinus refellitur.

Quis dicitur Filius adoptivus.

Adoptivi filij num generantur.

Angeli sunt adoptivi filij Dei.

Verum.

Socinus cō- Verum Socinus suis ratiunculis, non admodum fidens admittit tandem  
 cidit Chris- quod veluti absurdum inferrebamus. Christum ea ratione Filium Dei ado-  
 stum esse Fi- ptium esse, quod sicut nos cum non essemus filij facti sumus filij, ita et Chri-  
 lum ado- stus: neque in ea re agnoscat vltimum a surdum contineri. At absurdum sa-  
 ptium. ne Socino videri debuit de Christo tale aliquid asserere, quod scriptura nus-  
 Contra scri- quam asseruit. Vbi enim Christum Filium Dei adoptiuum nominauit: an  
 pturas. non potius nos adoptionem Filiorum accepisse docuit per Christum, tanquam  
 1 per proprium & naturalem Dei Filium? ita enim id explicat Paulus Ga. 4.  
 2 V. 6. Postquam enim dixit nos adoptionem Filiorum recipere per Christum  
 mox subiungit. Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui in  
 corda nostra clamantem, Abba Pater; quibus verbis indicat nos factos  
 Dei Filios participatione Spiritus proprii Filij eius. Hanc enim vim habet  
 verba illa, Filij sui, ex eis enim intelligimus nos non suos seu proprios filios  
 fuisse; sed participatione Spiritus filij eius proprii, factos esse Filios. Huc spe-  
 ctat illud D. Pauli ad Hebr. 1. V. 5. Cui enim Angelorum dixit: Filius  
 3 meus es tu, ego hodie genui te? Certè omnes Angelos, Filios suas, gratia  
 Christus sol- sua fecit Deus. Si igitur de Filijs gratia constitutus sermo esset, non soli  
 us Dei Filius, Christo, sed omnibus Angelis dictum esset à Deo: Filij mei, estis vos, ego  
 vos per gratiam meam genui. At cum id negat Angelis dictum Aposto-  
 lus: eo ipso Christum è numero filiorum Dei adoptiuorum eximit, & filium  
 Dei naturalem statuit. Neque potest Socinus eum locum de Filio Dei se-  
 cundum excellentissimam præ aliis rationem considerato interpretari  
 cum Scriptura de Filio absolute, non de aliqua eius præ aliis filijs excellen-  
 tia loquatur. Idquè vel ex eo patet quod Angelos non vult esse filios;  
 sed Christum. Hoc autem Angelus non negaret, si comparationem illam  
 tantum modo instituere vellet. Vt enim comparatio inter duos rectè sit  
 at, admittitur, idem utrique inesse; Sed uni longè excellentiori ratione:  
 si autem illud tollatur ab altero, & uni tantum concedatur non erit com-  
 paratio, sed simplex de uno negatio, de altero affirmatio. Id ipsum vero  
 hoc loco facit Paulus: affirmat enim de Christo quod sit Filius Dei, negat  
 de Angelis. Non igitur Christum præ Angelis Filium excellentiori ratio-  
 ne statuit. ad hoc enim opus esset Angelos aliqua saltem ratione filios con-  
 cedere non negare.

Gratia infu-  
 sa non facit  
 Christum  
 Filium

At ne quis fortè opponat nos quoque Christum quia homo est Filium  
 Dei gratia concedere propter gratiam quam cum aliis Dei donis habet  
 amplissimam; dicendum est nos per gratie infuse donum acceptari in Fili-  
 os adoptiuos, siquidem naturales non sumus. At Christus cum ratione  
 persona

persona sit Filius Dei naturalis; non adoptatur in filium ex gratia; sed potius  
 gratiam illam sibi vendicat ut filius Dei naturalis, & iure quodammodo  
 naturali propter personam suam diuinam; qua subsistit in humana perso-  
 na.

### Alia Socini in Filium Dei blasphemiz.

#### CAPVT XXI.

**N**on in eo solum peccat Socinus, quod Christum non natura; sed simi-  
 litudinis diuina participatione Dei filium facit: Sed etiam quod  
 ex eo principio multa infert, cum insigni Christi ignominia coniun-  
 ct. Asserit primum Christum in sua infantia similitudinem cum Deo  
 sapientie & sanctitatis non fuisse adeptum, quod ea res in infante non ca-  
 dunt, & rationis usum in homine eiusque actum requirunt; ex quo consequi-  
 tur Christum in infantia Filium Dei illa ratione non fuisse, cum propter simi-  
 litudinem cum Deo, qua tunc caruit, Dei Filius dicatur. Magnum sane ab-  
 surdum & scripturis repugnans, qua clarissime docent Christum in sua in-  
 fantia plenum Spiritu sancto, & sapientia fuisse: Verbum enim caro factum  
 est plenum gratie & veritatis. Mox igitur ac verbum caro factum est,  
 fuit gratia & veritate plenum, hoc est omni sanctitate, & sapientia, gratia  
 enim sanctitatem, veritas sapientiam designat. Idem Isaias clarissime  
 variatur: cap. 8. Cum ait, in flore egrediente de radice Iesse, requi-  
 euisse Spiritum sapientie intellectus. Egredietur, inquit, virga de radi-  
 ce Iesse, & flos ab radice eius ascendet; & requiescet super eum Spiritus  
 Domini, spiritus sapientie & intellectus. Quid enim virga florens nisi  
 virginem concipientem & parientem designat? Flos vero ipse est Chri-  
 stus: qui in primo suo ortu omnem Spiritus sancti plenitudinem & dono-  
 rum eius copiam in se recepit. Et sanè ab ipsa sua conceptione verè fuit  
 Christus, hoc est unctus Dei, unctus inquam Spiritu sancto; & quod Ioanni  
 concessum est, ut repletur Spiritu sancto ex utero matris sue, id multo  
 maiori ratione ipse consequutus est; neque dubitandum est omnem sancti-  
 moniam; & diuinorum munerum largitatem illico obrinuisse, cum & An-  
 gelus, quod ex virgine nasciturum erat, vocauerit sanctum. Luc. 2. Nam  
 quod Socinus idcirco Christo sapientiam & sanctimoniam negat; quod e-  
 um rationis usu more ceterorum infantium caruisse arbitrat: Mi-  
 rum sanè est, quod non potius ex eo collegerit Christum rationis usum in  
 sua infantia habuisse; quod tunc plenus sapientia & veritate legatur fuis-  
 se: cum

Error Soci-  
 ni Christum  
 infantem sa-  
 pientia caru-  
 isse  
 Refutatur

1

2

3

4

0

so: cum sapientia usus sine usu rationis esse non possit. Multa vero supra naturam de Christo credenda sunt. Quod si Ioanni Baptista in utero existenti, quidam rationis usus concessus fuit, ut agnosceret Christum venturum, & pro latitia gestiret, atq; exultaret in utero: quanto magis id de Christo credendum est: à quo omnis ignorantia & error quam longissime abesse debuit, cum in defectus de decerem omnino Filium Dei, sicut & peccatum, & alie prava affectiones. Hoc igitur sensu & illud Hieremia accipiendum est: Fœmina circumdabit viram. Quia nimirum in utero habitura erat eum, qui esset vir non annis aut corporis mote; sed sapientia: uti sancti interpretantur. Et sanè longè maius est atq; præstantius Christum infantem esse Deum Dominum, Dei Filium, Christum Domini; quam esse sapientia & gratia plenum. Quod si illa credimus, quidni hoc etiam credamus? At Socino fuit erroris occasio quod apud D. Lucam legitur, Christum profecisse sapientia & etate & gratia apud Deum & homines. Ex eo enim homo Hereticus infert, Christum in his omnibus imperfectum fuisse. Non ita sancti Patres. Nam eisi etate Christum re ipsa profecisse non negarent: Sapientia tamen & gratia non re ipsa creuisse sed sola demonstratione sapientia & gratia affirmarunt. Cum enim indies plura & maiora documenta ipsius sapientia & gratia homines cerneret magis eum admirabantur, & proficere sapientia & gratia credebant. At vero Christus, cum plenus sapientia fuit: ut non solum Ioannes cap. 1. v. 14. asserit; sed & Lucas in hoc ipso loco v. 40. Puer, inquit, crescebat; & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo. Non igitur potuit re ipsa in sapientia crescere, sed tantum demonstratione sapientia. Neque verò ita fuit plenus sapientia, ut impleri magis potuerit. Non enim ad mensuram Deus Filio suo Spiritum suum, & dona sua communicabat. ut D. Ioan. testatur c. 3. v. 34. Sine mensura igitur erat illa sapientia & gratia; & idcirco crescere amplius in illa non potuit re ipsa. Neque vero ex eo quod D. Lucas simul hæc tria coniungit: sapientiam, etatem, & gratiam, licet inferre, eodem modo in his omnibus profecisse Christum; sed in singulis suo modo. Nam simili ratione in hoc ipso loco D. Lucas Iosephum & Mariam sine discrimine vocat parentes Christi: Non tamen inferre fas est eadem ratione virumque fuisse Christi parentem; cum Ioseph constet fuisse Patrem uti putabatur, Mariam vero veram Christi matrem. Eodem modo intelligendum est, cum coniungit, gratiam apud Deum & homines. Nam gratia apud Deum erat semper plenus; nec in ea profecit, nisi demonstrando nova eius signa & documenta. Gratia vero

Christus proficiebat sapientia & demonstratione.

vero apud homines re ipsa proficiebat, cum eam nec semper nec apud omnes habuerit.

Alter error Socini est. Cum ait Christum iterum esse factum Filium Dei in resurrectione, propter potestatem amplissime in omnes res tunc obtentam. Hic error hac ratione refellitur: In primis propter diuine potestatis communicationem nullus dicitur Filius Dei. Nam neque Prophetæ, neque Apostoli cum potestatem miracula faciendi accepissent, dicebantur propterea Filii Dei: præsertim cum & malis ea communicetur, qui non sunt filij Dei. Neque verò ullus locus ex scriptura proferrî potest quo doceatur, Christum propter diuinam potestatem sibi communicatam dictum esse Filium Dei. Dein, e si propter diuinam potestatem dicendus est Filius Dei: proculdubio tunc dicendus esset Filius Dei factus, cum eam potestatem primo est adeptus, non vero cum eius maiorem perfectionem obtinuit. At ipsis Adversariis testibus ante Resurrectionem Christus potestatem illam jam habuit, qua dæmonibus, ventis, mari, morbis, cæterisque rebus creatis imperare potuit; non ergo in resurrectione dici potest propterea factus Filius Dei. Exemplum capi potest à generatione naturali. Ut enim nemo dixerit hominem tunc denuo nasci cum crescit, & augetur, atq; maiorem corporis aut animæ perfectionem acquirit; sed solum tunc, cum hominis perfectionem primo per generationem assequitur: ita firmitate potestatis Christus Filius Dei dicitur, sanè dicendus esset non in Resurrectione; sed multo ante factus esse Filius. Tertio, Nullibi legimus in scriptura Christum in Resurrectione factum esse Dei filium, legimus quidem prædestinatum & declaratum, at non factum. ad Romanos 1. v. 4. Nam si de Resurrectione secundum carnem loquamur, pro ut fuit Christo reditus ad vitam corporalem; Sic non nisi metaphoricè Resurrectio Christi regeneratio dici potest, eo modo quo omnium nostrorum resurrectio regeneratio in scriptura appellatur. At non hoc volunt Adversarii: sed propter diuinam potestatem in Resurrectione obtentam volunt dici Filium Dei quasi iterum natum. Verum potestas, non est ratio sufficiens, ut quis dicatur Filius Dei; & quamuis sufficiens esset, Christus tamen non in Resurrectione, sed multo ante diceretur factus Filius Dei; siquidem eam potestatem non in Resurrectione primum est adeptus, sed solum potestatis incrementum & perfectionem, quod (falso licet) Adversarii docent.

Præferunt duo loca Adversarii, ex quibus concludi arbitrantur, Christum in Resurrectione factum esse Dei Filium. Primus est. Actor. 13. v. 32. Et nos

Error Socini  
Christum factum esse Filium in Resurrectione.  
Refutatur.  
Potestas non facit Filium Dei.

Augmentum non est generatio.

Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est, quoniã hanc Deus adimpleuit, resuscitans Iesum. Sicut & in psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Tunc igitur genui quando resuscitavit. Voxque illa, hodie, diem Resurrectionis indicat. Verum ex hoc loco nil eiusmodi concludi potest. Mens enim Pauli est ostendere Deum impleuisse suas promissiones resuscitando Christum: quas promissiones? de mittendo Salvatore. ut patet ex v. 23. quomodo autem resuscitando Christum hanc promissionem impleuit? quia Christum Salvatorem quem Iudæi perditum volebant ad vitam reuocavit. De hoc autem Salvatore, quis & quantus futurus erat, in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Nempe non alius quispiam erat futurus Salvator; quam Filius ipse Dei. Nam & si in psalmo secundo Christus resuscitatus à morte inducitur, dicens: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: tamen non ait Christus ea ad se dicta esse die Resurrectionis; sed solum se esse illum, cui Dominus dixit: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Dixit autem in hodie eternitatis, non in hodie Resurrectionis. Estque sensus: Tu es Filius meus quem ego ab eterno genui. Et si igitur in die Resurrectionis ea verba Christus commemorat, non tamen de die Resurrectionis; sed de die eternitatis: Neque verò Paulus hunc locum psalmi ad probandam Christi Resurrectionem adducit; sed ad ostendendum impletas esse promissiones Dei de mittendo Salvatore, qui non alius est quam unigenitus Filius eius, ex eo ab eterno genitus. Scio hunc locum non nullos de Resurrectione Christi exponere, verum si de Resurrectione, secundum carnem intelligant; non est commoda expositio: cum Christus non secundum carnem; sed secundum Spiritum dicatur, Filius Dei declaratus in Resurrectione. Rom. 1 v. 4. Si vero more Scriptura exponant genitum esse, hoc est, declaratum, publicatum, non improbabili quidem est expositio. at nihil urget, ut ad has improprias expositiones veniamus, cum nihil nos cogat de generatione in ipsa Christi Resurrectione facta, ea verba interpretari.

Alterum Socini argumentum ex Rom. 1. Alter locus est, quem adducit Socinus. Rom. 1. v. 4. ubi ait Paulum dicere: Christum esse constitutum Filium Dei ex resurrectione mortuorum; Sed ex hoc loco nihil potest concludere. Inprimis, Quia fundat se in voce *constitutus* que ambigua est, & variè à Doctoribus redditur: ex voce autem ambigua, non potest firmum argumentum duci. Et quidem Doctores Græci eam vocem vertunt; Declaratus, seu manifestatus, Latine vulgata interpret vertit; Prædestinatus, alii deffinitus, destinatus, nullus autem

lus autem vertit cum Socino constitutus, ut vel eo ipso falsa & extorta expositio censenda sit, quod à nullo doctissimorum virorum admessa, & approbata. Explosa igitur ut par est Socini expositione, nullum ex hoc loco Pauli restat Socino argumentum ad probandum Christum esse Filium Dei factum in Resurrectione. Nam solum, vel declaratus est Filius Dei ex Resurrectione, quia tunc manifestè constituit esse Filium Dei, cum resurrexit ea gloria, quæ est gloria quasi unigeniti à Patre, vel destinatus est Filius Dei ex Resurrectione: quia & si ante fuit Filius Dei, tum destinatus est, ut ex resurrectione manifestè esset Filius Dei, seu ut ait S. Paulus. Filius Dei, in virtute. Suam enim virtutem & omnipotentiam in Resurrectione manifestè declaravit, cum ante esset infirmus, & morti obnoxius. Deinde Paulus non ait Christum ex resurrectione Filium Dei. Ob potestatem, aut immortalitatem in resurrectione obtentam, uti vult Socinus; sed secundum Spiritum sanctificationis, hoc est, secundum Spiritum illum diuinum, quo sanctificatus est à Patre, & missus in mundum. Ex eodem enim Spiritu sanctificationis etiam apud Ioan. c. 10. v. 36. probavit se esse Filium Dei, cum ait: Quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemias, quia dixi, Filius Dei sum? Nam siue hanc sanctificationem eternam intelligamus, antecedentem Christi missionem in mundum, cum per eternam generationem Pater Filio suam, qua ipse sanctus est, sanctitatem communicavit: siue illam quæ in unione Hypostatica Filii Dei cum humana natura facta est, Homo enim ille, ipsa diuinitatis essentia sanctificatus est: veroniam, inquam, modo hanc sanctificationem accipiamus; longè aliud hæc sanctificatio sonat quam immortalitatis aut potestatis diuine consecutionem. Imò si Christus secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione dicitur Filius Dei; contrarium sequitur eius, quod Socinus vult, nempe Christum in Resurrectione non esse factum Filium Dei. Nam Spiritum sanctificationis, secundum quem dicitur Filius Dei, non in resurrectione primum adeptus est; sed cum mitteretur de cælo in mundum. Quod si dicat maiorem plenitudinem Spiritus in resurrectione esse consecutum; id & falsum est, cum legamus statim ab initio non ad mensuram datum Spiritum Christo. Ioan. 3. v. 34. Et quamuis verum id esset non idcirco tamen dici posset factum esse Filium Dei in resurrectione; sed in Spiritu sanctificationis creuisse. Quocirca, vel hanc ipsam ob causam admitti non potest Socini expositio, ut dicatur Filius Dei constitutus ex resurrectione. Id enim constitui dicitur, quod primo tunc esse incipit. Christus autem Spiritum sanctificationis multo ante

Quomodo Christus destinatus Filius Dei ex resurrectione

Ut manifeste esset Filius Dei & in virtute.

Non quoad potestatem.

Sed quoad Spiritum sanctificationis.

Spiritum sanctificationis non in resurrectione Christus accepit.

ante habuit; non igitur potest dici in resurrectione constitutus Filius Dei secundum Spiritum sanctificationis, ita ut vox igitur omnino aliter vertenda sit, vel cum Grecis declaratus, vel cum Latinis destinatus, definitus.

Error Socini de Christi mortalitate post resurrectionem Contra Paulum.

Tertius error Socini est. Christum post resurrectionem immortalitatem veram non habuisse, quam diu in terris commoratus est. Hunc errorem satis redarguit D. Paulus, cum ait: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Quod quid aliud est quod esse verè immortalem? Neque enim solum ait actu non morturum; sed & mortem illi ultra non dominaturam, & mortis potestati, nullomodo subiectum futurum. At enim inquit, verè manducavit, atque bibit, post resurrectionem, quod facere nequeunt, qui naturam immortalem habent. Sanè non negamus Christum vere manducasse, ut se verè resurrexisse, & hominem verum non spectrum esse probaret: at negamus id cum vera corporis immortalitate pugnare. Et si enim manducare nutriendi causa, corpori immortali repugnet; quod uti corruptioni obnoxium est, ita illa per nutritionem instauratione non indiget: tamen uti manducatio vera absque nutritione fieri potest, per veram & vitalem cibi sumptionem, & ad stomachum transmissionem: ita corpori immortali minimè adversatur. Ait præterea Socinus, Christum in corpore immortali videri & agnosci à Discipulis non potuisse, eo quod mortales oculi immortalium corporum splendorem ferre nequeant. At Paulus Christum in corpore immortali & glorioso cum illi appareret in via conspexit, cum ex ea visione non minus se quam alios Apostolos Dominum vidisse gloriatur. Stephanus in terra caelos apertos & Iesum stantem à dextris virtutis Dei vidit. Habent enim corpora immortalia rationem, qua ab oculis mortalibus conspici possint: nempe colores veros, qui ex naturali corporum elementarium compositione oriuntur. Et quamvis alia multa supra naturam habeant, quæ oculi mortalis potestatem excedunt, ea tamen non impediunt, quo minus secundum ea quæ mortali oculo proporcionata sunt ab eo videntur. Addit, vestigia vulnerum in corpore immortali non habere. At qui id verum esse fatemur, si de ingenita corporis immortalis perfectione, & virtutis creata potestate loquamur. Neque enim corpus immortale, aut vulnerari, aut diuidi ex indita sibi perfectione potest ab ulla re creata. At diuine virtutis respectu, etiam immortalia corpora pati diuisionem possunt. Nisi fortè Socinus putet, etiam Deum tota sua potestate corpora gloriosa diuidere non posse.

Manducare potest corpus immortale.

Potest & videri mortalibus oculis

Vulnera in corpore immortali hæc genita.

Quartus

Quartus error Socini est. Christum perfectam potestatem & dominationem statim post resurrectionem non habuisse, donec consedit in caelo ad dexteram Patris. Verum Christus postquam resurrexit, disertis verbis pronunciauit sibi esse datam omnem potestatem in caelo, & in terra: neque vero aliquam potestatis partem quis desiderauerit; cum omnis potestas data dicatur; neque restringi potest ad aliquas tantum res, cum non in terra solum sed & in caelo, hoc est, ubique, data pronuncietur: neque enim extra caelum & terram est, in quod exerere se Christi potestas debeat. Non subiecerat, inquit, sibi potestates, nisi postquam caelos ascendit. Sit id etiam verum, si de exquitione potestatis, non de ipsa potestatis essentia loquamur: Potestatem enim suam in Angelos manifestè exercere postquam caelos petiit cepit: in eos tamen semper plenam potestatem habuit, eamque exercere si voluisset potuit. At de Socini erroribus hoc loco satis, nil enim mirum eos, qui semel à veritatis via destexerunt, in absurdissimos quosque errores facile incidere.

Error Socini de imperfecta Christi post resurrectionem potestate. Data Christo omnis potestas.

Christum esse verum Dei Filium ex Dei substantia genitum demonstratur.

CAPVT XXII

Hucusque demonstravimus Christum neque secundum carnem, neque secundum similitudinem, Vti Ariani volebant Dei Filium dici; restat, ut ostendamus quam ratione Dei Filius dicatur, nempe non alia, nisi quod de substantia Dei sit genitus. Id vero primum ex eo ostenditur, quod verus Dei Filius non esset, nisi de substantia Dei genitus esset. Id non solum est, quod verum Filium facit, quod sit de substantia Patris, caro de carne, sanguis de sanguine. Quis enim dixerit Filium alicuius, qui sanguine non attingit? neque enim Filius est solum effectus Patris; sed una cum Patre substantia, caro de carne, sanguis de sanguine. Est enim Filius & Patris unus quodam modo sanguis, & filii qui ab eodem Patre descendunt, consanguinei dicuntur, quasi ex eodem sanguine geniti: qui vero ex eodem sanguine non sunt progeniti, non eiusdem, sed diversorum parentum sunt filii. Jam vero in Deo non est caro & Sanguis; Sed divina substantia, quo circa Dei Filius, non nisi ex divina substantia generari potest. Cum vero substantia divina sit indiuidua nec in partes diduci queat necesse est ut non pars ejus aliqua, sed tota integre ac perfecte Filio communicetur, eamque ob causam necesse est, ut Filius Dei sit integre.

Non est verus filius nisi de substantia Patris genitus.

Modus divinitus generationis.

Filius Dei  
Deus.  
Et idem cū  
Patre Deus.  
Augustini  
rationatio  
de Filio Dei

Filium ve-  
rum Patris  
substantia  
arguit.

fit integrè ac perfectè Deus; quemadmodum & Pater, ut pote, qui to-  
tam Patris essentiam in se habeat, imò necesse est esse eundem numero cum  
Patre Deum: cum necesse sit de ea lem numero, qua in Patre est, divini-  
tatis substantia eam generari. Ergo si Christus est verus Filius Dei, fate-  
ri oportet eum esse de substantia Dei genitum: & esse eandem cum Patre  
Deum. Tractavit hoc argumentum, & vehementer urfit Augustinus in  
sua cum Arianis disputatione: ita n. Scribit 3. contra Maximinum Ari-  
anum Episcopū Ca. 15. Quomodo, inquit dicitis, & verum Filium vos profe-  
ri, & Patri similem non negare, quando eum negatis unius cum Patre esse  
substantia? Sicut autem verum Filium indicat vera substantia, sic non  
verū diversa substantia. Quomodo autem Patri simile dicitis, cui Patris sub-  
stantiam dare non vultis? Nonne similis homini est pictura, vel statua, &  
tamen Filius dici non potest. quia diversa substantia est? Homo nempe ad  
Dei similitudinem factus est: ita non quia non est unius, eiusdemq; substan-  
tia, non est verus Filius, & ideo fit gratia filius; quia non est natura. Si  
ergo vultis Dei Filium verum confiteri, prius illum ac præcipue dicite  
unius eiusdemq; substantia; ut tanquam verum Filium & Dei Filium  
per omnia similem Patri esse dicatis. Nam quem substantiam  
putatis habere diversam, plus eum dissimilem quam similem dicitis: &  
omnino verum Filium denegatis; nec vultis nosse ad ostendendum verum  
Filiū quantum valeat, una eademq; substantia. Etiam si Filius homi-  
nis homo, in quibusdam similis, in quibusdam sit dissimilis Patri: tamen  
quia eiusdem substantia est, negari verus Filius non potest. Et quia ve-  
rus Filius est, negari eiusdem substantia non potest. Vos autem ita dicitis,  
verum Dei Filium similem Patri, ut substantia velitis esse diversa per  
quam solam potest verus Filius ostendi. Nam duo veri homines, & si  
neuter eorum filius sit alterius, unius tamen & eiusdem sunt substantia. Ho-  
mo autem alterius hominis verus Filius nullo modo potest, nisi eiusdem  
cum Patre esse substantia; etiam si non sit perfectè similis Patri. Et li-  
bro 2. contra Maximinum C. 6. Si sancta Scriptura cogente permittitur,  
ut verus Filius sit, rogamus permittite, ut degener non sit. Et dege-  
ner quomodo? Audiant Catholici, unde erubescant Heretici. Filius  
vir fortis si non habet fortitudine degener dicitur, tamen homo est quod  
& Pater eius est; at que in dissimili vita non est, tamen aliena substantia.  
Vos unigenitum Dei Filium ita degenerem vultis, ut ipsam ei Patris sub-  
stantiam denegatis, minorem natu. minorem remansisse jactatis: Non  
ullam datis etatem, qua possit augeri, non datus eandem formam, qua  
possit

possit avari. Cujus natura tanta subtrahitis, miror verum Filium qua  
fronte dicatis; nisi quia infelicissimo errore non vos putatis ad unius Pa-  
tris gloriam, nisi per unici Filij contumeliam pervenire. Hæc Augustinus.

Socinus ait, Se non negare Christum esse verum Dei Filium;  
Sed eomodo quo Deus filios generare potest. Is autem modus ex substantia  
generandi Deo est impossibilis. Nam neque ex parte substantia genera-  
re potest; cum divina substantia sit impartibilis; neque ex tota substantia;  
si quidem si ea substantia sit eadem specie in Patre & Filio, essent duo  
summi D. Si verò dicatur esse eadem numero; id verò est impossibile,  
cum hæc essentia numero nil aliud sit quam persona. Persona autem com-  
municari pluribus non potest.

Multo melius Socinus ex eo ipso quod fatetur Christum verum Dei  
Filiū, concludere debuit, esse de substantia Dei generatū, neque hunc mo-  
dū asserere impossibilem. Si enim hic modus generationis sit impossibilis, im-  
possibile quoque erit Christum dici verum Filium Dei. Id enim potissimum  
verum Filium facit; quod de substantia Patris sit genitus, uti supra di-  
ctum est. Eamque ob causam nos etsi Filij Dei dicamur ex Deo nati;  
non tum dicimur aut dici possumus veri Filij Dei, solum ex eo quod ex  
Dei substantia non sumus geniti: simusq; filij non natura; sed gratia. Fi-  
lius enim natura ex substantia Patris generatur, filius vero gratia admitti-  
tur in Filium voluntate & gratia Patris. Neque vero ille modus gene-  
randi ita est impossibilis, ut Socinus arbitratur. Et si enim de substantia ali-  
cujus generari est cedere substantiam generantis in substantiam geniti:  
quod in rebus creatis sit parte aliqua substantia decisa & communicata:  
tamen in Deo cum partes nulla sint que decidantur, tota divina substantia  
Filio in generatione communicatur; & quidem eadem numero, cum di-  
vina natura non sit nisi una, nec multiplicari possit. Neque tamen illam nu-  
mero naturam sequitur esse personam: cum natura non sit persona, nisi  
quatenus habet propriam & incommunicabilem subsistentiam; seu ulti-  
mum subsistendi terminum. Quare sicut unam naturam numero non re-  
pugnat subsistere pluribus subsistentiis distinctis: ita neg, repugnat commu-  
nicari distinctis personis. Huc pertinet quod D. Augustinus ex rerum cre-  
atarum similitudine id non esse impossibile ostendit. 3. contra Maximum  
C. 6. Quandoquidem (inquit) creaturam corruptibilem cernitis, hoc  
quod ipsa est gignere factum suum: & Deum Patrem omnipotentem cre-  
ditis non potuisse; nisi ejus degenerante natura gignere unicum suum?  
Et cap. 7. Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater equa-

Si verus Fi-  
lius, ergo de  
substantia  
Patris geni-  
tus.

Modus de  
sua substan-  
tia genera-  
di non im-  
possibilis  
Deo.

DAugustini  
ex similitu-  
dine rerum  
creatarum  
argumentū,

Quælibet res id quod ipsa est, generat.

lem sibi Filium gignere aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit, infirmus, si noluit invidus invenitur. Et mox. Si invisibilia Dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur; per id quod factum est in creatura visibili, ut parentes id quod ipsi sunt generent, intellige invisibilem nativitatem veri Filij Dei; ne Deum Patrem dicas id quod non est ipse, genuisse. Si autem hoc genuit, quod est ipse, unam Patris & Filij esse substantiam negare noli. Porro cum Ariani offenderentur hac comparatione ducta à terrenis rebus ad Deum, respondit Augustinus: se non ideo id facere, ut terrena divinis coequaret; sed ut ex visibilibus ad invisibilia duceret; & in summis rebus errantes, ex rebus parvulis, infimisq; convinceret. quod si Deus extremis vilibusq; rebus dedit hoc bonum, ut hoc generent, quod sunt ipsæ, quomodo Deus non potuit generare, quod est ipse; aut quomodo non nisi de generante natura genuerit Pater Filium suum? Deinde melior esset humana conditio, ubi conceditur crescere, ut ad robur paternam vel crescendo filij possint pervenire. Ii vero filium Dei ita minorem Patre genitum asserunt, ut sic remanserit, neque ad Patris formam unquam possit pervenire. Hac Augustinus.

Filii hominum crescendo perveniunt ad perfectionem Patris. cur Deus habeat imperfectum filium.

Deus non eo modo genuit Christum quo alios Filios.

Jam cum ait Socinus, Christum eo modo dici verum Filium, quo Deus in Scriptura dicitur Filios generare: nempe non ex Substantia sed per renovationem & regenerationem Spiritualem: refelli vel ex eo potest quod Paulus ad Hebræos ait. Cui enim aliquando Angelorum dixit, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quibus sanè verbis ostendit Paulus non eo modo Christum esse Filium quod Angelos neque eo, quo ipsi, modo generari. Omnes etenim præter Christum sunt admissi in Filios, ex gratia & voluntate Dei per internam renovationem & regenerationem; quem modum nobiscum Christo non esse communem, Paulus loco citato docet: aliumq; modum generationis esse in Christo, qui ad nos nulla ratione pertineat. Et sanè si Christus communem nobiscum generationis modum haberet, dicemur quoq; nos veri Filij Dei, quemadmodum ipse dicitur verus Filius. Quod cum de nobis dici non possit, non poterit etiam dici eodem modo Christum genitum esse Dei Filium; quo nos Dei filij generamur.

Ratio veros Filios generandi.

Ait præterea Socinus, Christum dici verum Filium Dei, quia perfectissima ratione est Filius, quatenus Deus filios generat. At quæro à Socino, utrum illa ratio qua Deus filios generat, sit ratio veros filios generandi, an non? Si affirmet, consequetur omnes quotquot ex Deo geniti sunt, esse veros Dei filios: cumque constet omnes esse adoptivos Dei filios, ut quivis adoptivus filius sit verus filius. Si neget, concludam, non Christum

Christum quidem illa ratione esse verum filium, neque enim filius, qui voluntate & gratia Patris admissus est in Filium, unquam verus Filius efficietur, quatenus perfecte adoptetur & diligatur à Patre; cum unica ratio sit, ob quam quis verus filius dici possit, quod sit de substantia Patris prægenitus.

Tandem Socinus ait, in Scriptura non haberi, Christum esse verum Dei Filium. Nam & si in Latina versione legatur 1. Ioan. 3. Ut simus in vero filio eius. Græca tamen versio habet aliter: ut simus in vero, in Filio ejus. Afferit tamen se ultro concedere Christum verum Filium Dei, eo sensu, quo discipuli apud Matthæum 14. v. 33. dixerunt: Vere Filius Dei es. Et Centurio, apud Marcum C. 15. v. 39. Verè hic homo Filius Dei erat. Hos autem, cum ita locuti sunt, constat, nihil de generatione ex ipsa Dei substantia cogitasse.

Ostendit tandem homo Hereticus se nihil de vero Filio Dei credere: non enim verum Dei Filium, sed verè, id est, non fictè, esse Dei Filium credit; quæ duo ita sunt à se disjuncta, ut nos omnes verè dicamur Dei Filij; non tamen dici possumus veri Filij. Sumus enim filij per gratiam, non per naturam solusq; Christus est verus Dei Filius. Quare quod hætenus se jactabat verum Filium Dei credere, mendaciter est impudentissimè & mendaciter ex ore suo convincitur. Accedit, si Socinus in Scripturis non legit Christum esse verum Dei Filium, qua fronte & conscientia absq; Scripturis credit Christum esse verum Dei Filium? Cum maximum Sectarius scelus sit atq; piaculum, absque Scripturis aliquid credere. Deinde quod ad locum Ioannis attinet, vulgata versio omnium antiquissima, & communi Ecclesie usu recepta ita habet: Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum & simus in vero Filio ejus. Quam versionem non à Catholicis tantum; sed ab ipsis Arianis, absque controversia receptam fuisse, testatur Augustinus 3. contra Maximinum C. 14. ita ut ex ea vehementer Arianos oppugnari, neque tamen illi eum locum D. Joan. ullo modo in dubium vocare fuerunt ausi. Nam omisso Concilio Nicæno, quod afferebant Catholici & Ariminensi quod pro se adducebant Ariani, hoc solo D. Joannis testimonio perurgeret Arianos. Virique, inquit, legimus (hoc est & nos Catholici & vos Ariani) ut simus in vero Filio ejus Iesu Christo, ipse est verus Deus, & vita eterna. Virique tantiponderis mobilibus cedamus. An vero tam ignorantes erant tum temporis Ariani, ut nescirent aliter in Græco textu haberi? Si id ita fuisset, proculdubio non dissimulassent, ut hoc tam potens telum eriperent Catholicis ex manibus.

Negat Socinus Christum in rigore esse verum Dei Filium.

Homines quoque sunt verè Filij, sed non veri.

Defenditur locus 1. Ioan. 3. de vero Filio Dei. 1. Testimonio Augustini.

2.  
Testimonio  
Græcorum  
Patrum.

3.  
Vulgata  
versio anti-  
quissima.

Certè Græci Patres non pauci, inter quos Athanasius Disputatione contra Arium in Concilio Nicæno, Latinam versionem tenuerunt: quod signum est eam immutationem à nonnullis Arianorum factam esse. Jam quod ait Socinus, Discipulos & Centurionem Christum consistentes Filium Dei, nil cogitasse de generatione Christi ex substantia Dei: dico ne homines quidem id expresse cogitare solitos, cum aliquem Filium alicuius appellant, re tamen ipsa eo respectu ita dicunt, quod eum sciunt de Sanguine Patris generatum. Sanè & discipuli Christi talem Dei Filium Christum agnoscebant, qui Deus de Deo esset: id enim ex divina ejus virtute colligebant; & Centurio tot mirabilibus in Christi morte conspectis advertit tandem id verum esse, quod Iudæi blasphemum esse credebant, Christum esse Filium Dei. Non alia vero ratione credebant id esse blasphemum, nisi quod verè ex ipsa Dei substantia esset genitus.

Christum esse proprium & unigenitum Dei  
Filius Cap. 23.

**N**on solum verum Dei Filium, sed & proprium Scriptura Christum appellat. Rom. 8. v. 32. Qui proprio Filio suo non peperit. Quo etiam modo Christus Patrem proprium dicebat Deum Ioan. 8. v. 27. Vtrobique enim vox est idem, quæ proprium significat. Non potest autem proprius Dei Filius dici, nisi sit ex propria Dei substantia genitus. Nam neque inter homines proprium Filium quis dixerit eum, quem ipse adoptavit in Filium; sed eum solum quem ex sanguine suo procreavit. Sanguis enim Paternus in Filio existens proprium filium facit. Deinde proprium Filium necesse est propriè genitum esse: propria porro generatio est secundum naturam; sicut illa que fit per voluntatem & gratiam, est impropria & metaphorica. Generatio porro secundum naturam ea est, cum quis ex alterius substantia generatur. Christus igitur non potest ullo modo dici proprius Filius Dei, nisi sit ex Dei substantia genitus.

Respondet Statorius fol. 406. Christum dici proprium Filium Dei: quia alium Patrem præter Deum non habuit; à quo secundum carnem est genitus. At jam ostensum est Christum non esse Filium Dei secundum carnem, neque in scriptura vocari Filium nisi secundum Spiritum. Quomodo autem proprius Filius dici potest, qui ne Filius quidem illa ratione sit, nisi improprie & metaphorice. Hac enim ratione & Angeli Filij Dei proprij

Quis proprius  
Filius.

proprii dicerentur, quod à Solo Deo per creationem sunt producti. Nam & creatio, generatio metaphorice dicitur, & creati, geniti. Gen. 2. v. 4.

Respondet Socinus. dici proprium, hoc est non alienum; sed suum & peculiarem: quod absque eo, quod ex substantia Dei genitus sit, intelligi potest. Interim quero à Socino; Vtrum nos quoque dici possimus proprii Filij Dei? Si affirmet, repugnabit omnibus Scripturis que nos adoptivos Dei Filios dicunt: Non potest enim adoptivus filius proprius dici; sed ille solum qui secundum naturam est Filius. Quod si non putet Socinus nos posse dici proprios Dei filios (id enim Christo soli convenit, qui solus in Scriptura proprius Dei Filius dicitur; & propterea lapidibus appetitus fuit à Iudæis, quod Patrem suum proprium diceret Deum) istius inquam rei ratio nulla alia afferri potest; nisi quod nos non simus ex Dei substantia generati; sed solus Christus. Nam quod ait Socinus proprium dici, hoc est non alienum; sed suum: certe Filius ea ratione est non alienus; quia non ex aliena, sed ex propria substantia Patris est genitus. Nihil enim proprium filium facit, nisi sanguis, & substantia propria Patris. Si denique proprium opponamus metaphorico: is proprius Filius dicitur, qui proprie, hoc est naturaliter est genitus ex substantia propria Patris: Nam illa alia generatio filiorum per gratiam est metaphorica & impropria. Nullo igitur modo Christus Filius Dei proprius intelligi potest, nisi sit ex substantia Dei genitus.

Huc spectat quod quoties Christus de Patre suo loquebatur, non alium intelligebat nisi Deum. Pater meus usque modo operatur & ego operor. Ego veni in nomine Patris mei. Sanè hunc loquendi modum, non nisi cum de Patre naturali agimus, adhibemus; ita ut non mirum sit Iudæos sæpius eo loquendi modo offensos; & scandalizatos fuisse, quod blasphemum putarint, hominis alicujus Deum esse Patrem naturalem. Perspicuum ergo est, idcirco Deum proprium Christi Patrem dictum esse, quod Pater Christi naturalis esset.

Aliud argumentum sumitur ex nomine unigeniti. Est enim Christus Dei Filius non qualiscumque, sed unigenitus, hoc est solus ex Deo genitus. Ioan. 1. v. 18. Unigenitus qui est in sinu Patris. Et ibidem. Quasi unigeniti à Patre. Ioan. 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Certè si dicatur Filius per gratiam adoptionis, sic unigenitus dici non poterit: innumeros enim haberet fratres eodem modo ex Deo genitos. necesse igitur est ut dicatur unigenitus secundum naturam, quatenus est de substantia Dei naturaliter genitus. Sic enim multos habet

Christus  
unigenitus  
quia solus  
ex Deo ge-  
nitus.



bet fratres similiter genitos; sed solus est hoc modo ex Deo genitus. Hanc igitur ob causam Apostolus ad Hebr. 1. ait de Christo: Cui enim dixit alii. Quando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Ostendit sanè his verbis, solum Christum esse Filium Dei, & non Angelos: quod nisi de generatione naturali ex substantia Patris accipiatur, verum esse non potest, cum per gratiam etiam Angeli & homines sint Filij Dei ex Deo geniti; & licet in Christo, ea gratia excellentior sit, negari tamen absolute de alijs etiam non posset.

Socini com-  
menta.

Torquet se hoc loco Socinus. & ostendere conatur Christum dici unigenitum, non quod solus ex Deo sit genitus; sed quod pluribus modis alijs Dei Filiis antecellat, & singularis quidam sit Dei Filius. Sic enim Isaac Gen. 22. v. 2. Hebr. 11. v. 17. dicitur, unigenitus Abrahami Filius, etiam si Ismaelem fratrem natu majorem tum habuerit. Solum ex eo quod pluribus modis fratre nsum Ismaelem antecellebat, tum dilectione paterna, tum successione in totam hereditatem. Sic Salomon Prov. 4. v. 3. dicit se unigenitum coram matre sua, quamvis non esset solus Davidi ex eadem matre natus. 1. Par. 3. v. 5. nempe, quia præter alios matris sue carus erat. Sic Psalm. 22. v. 20. & Psal. 35. v. 17. David animam suam unicam vocat, seu ut Græca translatio habet unigenitam, hoc est unicè dilectam.

Verum Socinum satis redarguit erroris S. Paulus, quum Christum solum esse Dei Filium. & solum ex Deo genitum docet; ita ut dubitari non possit Christum idcirco dici unigenitum, quod solus ex Deo sit genitus, quæ est propria hujus vocis acceptio. Cum enim constet propriam rationem unigeniti Christo convenire: quid opus est improprias conquirere. Neque vero Socinum exempla adducta juvant. Nam Isaac dicitur Unigenitus, quia solus fuit Abrahamo ex Sara uxore genitus, ob quam etiam causam solus illi in universa hereditate successit. Nam qui ex ancilla erit genitus Ismael, non censebatur in Familia, nec ad successione hereditariam pertinebat. Salomon vero non dicit se fuisse absolute unigenitum, sed ut in Hebræo habetur, unicum. Jehid, unicum inquam matris sue, seu unicum coram matre sua, seu ut alij ex Hebræo vertunt, in facie matris sue; quo sanè modo loquendi indicare voluit se talem fuisse in oculis matris; & ita dilectum a matre ac si unicus esset. quare Græca versio habet ἀγαπητός Dilectum. Iam quod David postulat eripi de manu canis unicam suam; ut omittam variam lectionem Græcam: idcirco animam suam unicam appellat; quia solum & ab omnibus derelictam esse videbat; & ea propter postulat à Domino, ut non deferatur, sed eripiatur. Et sanè si qua-

Isaac unige-  
nitus Abra-  
hami ex Sa-  
ra.

Salomon  
unigenitus  
coram ma-  
tre sua.

David ani-  
mā suā uni-  
cam, id est  
derelictam  
vocat.

si quando quis eo nomine dicendus esset unigenitus, quod singulari ratione amaretur; non absolute talis diceretur, sed adjuncta aliqua circumstantia, ex qua is sensus colligi merito posset. At Christus cum absolute dicatur unigenitus, non potest nisi in proprio sensu unigenitus appellari. Legimus quidem Christum primogenitum in multis fratribus: Verum eo modo habet multos fratres; quo modo naturalis & unigenitus filius habet plures fratres adoptivos: cum ipse solus sit & unicus verus filius.

Addit vero Socinus Christum esse vocatum unigenitum ante Resurrectionem, quo tempore nondum ceperunt homines esse Dei Filij, quales sub novo Testamento ea appellatione sunt digni: cum ea dignitas per Christi glorificationem, & Spiritus Sancti missionem hominibus sit tributa. In hoc quoque insigniter errat. Nam divus Ioannes & post Resurrectionem, & Spiritus Sancti missionem vocat Christum unigenitum: quo jam tempore multi erant filij Dei sub novo Testamento. Ioan. 1. v. 18. Unigenitus, inquit qui est in sinu Patris. Etiam in sinu Patris existentem unigenitum vocat. It etiam qui ante Christi Resurrectionem ex aqua & Spiritu Sancto renascebantur, nonne erant Filij Dei ad Novum Testamentum pertinentes? aut qui tempore Christi credebant in Christum, nonne secundum promissa Christi habebant jus vitæ æternæ? an plus habent modo Filij Dei, quam temporibus Christi haberent? Neque verò missio Spiritus Sancti post Christi ascensum eo modo est accipienda, quasi Spiritus Sanctus ante non daretur: Cum Christus ante Ascensionem suam insufflando dederit Spiritum Sanctum Apostolis; & quicumque baptisabantur tempore Christi Ascensum antecedente renascebantur ex Spiritu Sancto; & charitas diffundebatur in cordibus eorum per S. Spiritum qui dabatur eis. Verum die Pentecostes peculiari ratione datus est S. Sanctus quia in forma visibili, & cum magna divinorum donorum plenitudine datus est. Libet hic adungere illa Christi Domini verba Ioan. 3. v. 16. quibus luculenter explicat, quæ de Filio Dei unigenito diximus: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daree, ut omnis qui credit in eum non pereat; sed habeat vitam æternam. Expendunt Doctores Catholici primum illam voculam sic, quæ non nisi excessum divinæ in nos dilectionis demonstrat, ac si diceretur: Eo usque pervenit Dei dilectio, tam fuit vehemens & nimia; ut rem omnium maximam nobis donavit, unigenitum Filium suum. At non esset procul dubio tantus excessus dilectionis, si hic Filius aliud nil esset nisi creatura, aut parus homo donis divinis ornatus: Quid enim magnum Deo esset dare nobis creaturam, quæ cum è nihilo condita sit, & qui-

Christus etiam post Resurrectionem unigenitus. Filij Dei erant ante Christum.

Expendunt locus Ioa. 3. de Filio Dei unigenito. Quatuor divinitatis Christi argumenta.

Sic Deus dilexit mundum.

dem uno

dem uno Dei verbo; quasi nihili Deo constitit: Sicut ne si mille mundos crearet Deus aliquanto illi constarent. Hoc porro magnum & admirandum est, quod eum dederit, quem ex sua substantia sibi per omnia equalem genuit Filium. id enim donum est, res omnium maxima, tanta quantus ipse Deus. Quin etiam nisi hoc dicamus, majus quid Deus prestare nobis potuisset, si potius misisset ad nos Angelum iisdem quibus Christus donum ornatum quam hominem purum, qui Angelo natura nobilitate est utiq; longe inferior. Tractat hoc argumentum a Hilar. 6. de Trinitate libro. Expendunt Doctores etiam illa alia verba: Filium suum, hoc est naturam, non gratiam Filium: Hoc enim est magne dilectionis signum quod eum quem ex se suamque substantia genuit, dedit. Non magnum vero esset, Filium per gratiam nobis missum esse; neque quum Deus mittit Angelum vel hominem, dicitur mittere Filium suum. Iam vero quid Filium facit esse Filium, nisi hoc, quod est de substantia Patris? Vt supra dictum est. talem ergo Deus Filium dedit mundo, qui de substantia Dei, deque ipsa Deitate genitus; totam Patris Deitatem in se habet: estq; verus Deus de Deo vero. Sed & vox unigeniti eam Dei dilectionem demonstrat: quod unicum illum, & quem solum ex se naturam habuit, & preter quem alium non habuit, dedit. Et filios quidem per gratiam innumeros habuit Deus; eum vero, quem ex sua substantia genuit, unum tantum, eumq; Deum verum. Nam qui ex substantia Dei nascitur, non potest esse nisi Deus, secundum illa Christi verba: Quod ex carne natum est caro est, quod ex Spiritu, spiritus. ergo & quod ex Deo est, Deus est. Denique & id quod postremo additur, magnam vim habet ad divinitatem Christi comprobendam, Vt omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quid enim de Deo majus affirmare possumus, quam quod credendo in illum habeamus vitam aeternam? quodque tam magnum bonum sit Deus, ut vel credere in ipsum sit summa felicitas, & aeterna vita? Si Christus Deus non esset, non posset id de eo affirmari: de nullo enim vel maximo sancto homine aut Angelo id dici potest: Vt qui credit in eum eo ipso vitam aeternam habeat. Est que id solius Dei proprium ut in eum credamus.

Christum esse naturalem non adoptivum  
Dei Filium Cap. 24.

Christum esse natura Dei Filium non adoptivum. Catholici nostri recte ex eo probant, quod Paulus ad Hebr. 1. Christum Splendorem gloriae

2  
Vt Filium suum.

3  
Unigenitum daret.

4  
Vt omnis qui credit in illum non pereat.

gloria, & figuram substantiae Dei vocat, ea enim duplici similitudine divina Christi generatio explicatur. Splendor enim & coaeternus est luci, & a luce absque ulla lucis diminutione, per modum naturalis emanationis procedit, & est eiusdem cum luce essentia. Ita quoque se habet divina generatio, ut enim splendor a luce, ita Filius emanat a Patre, Patri coaeternus, & ejusdem cum Patre substantiae, absque ulla paterna substantiae diminutione. Sicut enim si lux esset ab aeterno, splendor quoq; ab ipso emanasset ab aeterno: ita Deus aeternus, coaeternus sibi Filium genuit, lumen de lumine, verum Deum de Deo vero, uti Sacrum Nicenum Concilium in suo Symbolo confitetur. Jam vero cum dicitur Figura, seu character, seu expressa imago substantiae Dei, divina Christi generatio ostenditur. Jam enim Filius a Patre generatur, sicut imago expressa substantiae Dei. Est enim de ratione imaginis similitudo cum eo, cujus est imago. Si igitur sit imago, secundum formam exteriorem duntaxat, ut in humanis imaginibus cernimus, similitudo etiam erit in exteriori forma duntaxat, hoc est in coloribus & figura, & omni externa corporis compositione, qua similitudo circa accidentia tantum versatur, nec essentiam hominis ullo modo attingit. Quod si imago sit ipsius essentiae: necesse quoque erit in essentia similitudinem esse, cum Prototipo. Cum igitur Filius Dei sit expressa imago ipsius substantiae Dei, Paulo teste: necesse est Filium ita generari de Deo, ut sit ejusdem cum Patre substantiae. Certè si esset aliqua imago representans hominem, non quo ad accidentia tantum uti sunt pictae imagines; sed quo ad essentiam: proculdubio talis imago esset ejusdem cum homine essentia, ac ex consequenti esset homo verus. Nam quod ait Socinus, scriptum esse, substantiae Dei, non Patris, vanum & futile est. De Deo enim sermo est, prout locutus esse nobis novissime in Filio. Deus autem prout Filium habet, Pater est. Multo vero ineptius est, quod addit: Filium esse imaginem potentiae, & voluntatis divinae, non essentiae, cum illa duo, non Dei essentiam nobis representaverint. Expressè enim id verbis Pauli repugnat, qui asserit Filium imaginem esse expressam, non voluntatis, aut potentiae; sed hypostasis, seu substantiae Dei. Et certè aliud in Deo est (modo nostro intelligendi) voluntas & potestas, aliud essentia. Neque vero Christus Dei solum voluntatem, aut potentiam; sed etiam essentiam in seipso representabat: cum Patrem videndum in se & se in Patre doceret. adeo ut qui se videret, Patrem quoq; videret, ut potè ejusdem secum essentiae. Quod vero ait Socinus positum esse substantiae Dei, pro eo, ac si diceretur, ipsiusmet Dei: quis non videt quam dure Socinus torqueat Scripturas? Quem admo-

Christus Splendor gloriae Dei.

Figura seu expressa imago substantiae Dei

Imago essentiae.

Solutio Socini nullius momenti

admodum enim cum dicimus imaginem esse vultus Caesaris aut capitis; significare volumus Casarem quidem representari; sed secundum eam formam qua in vultu, vel capite cernitur: Ita cum Paulus ait Filium Dei esse expressam imaginem substantie Dei; ostendit formam secundam quam Filius Deum exprimit, ac representat divinam substantiam.

Non est imago ratione doctrina.

1.

Falsa igitur est illa Socini doctrina, Christum dici Dei imaginem, non ratione essentia, sed doctrina, quod doctrina sua voluntatem & potestatem Patris nobis manifestaverit. Falsa inquam est, tum quo ad rem, tum quo ad modum loquendi. Nam si modum loquendi attendamus, lucet clarius est, cum qui depingit, seu pingendo exprimit formam alicujus, colores, proprietates, ejus imaginem dici nullo modo esse. Sic enim pictores essent imagines rerum quas pingendo exprimunt; quod nullus sana mentis dixerit. Sunt enim auctores imaginum, non imagines ipse. Pari ergo ratione, si Christus doctrina sua divinam voluntatem aut potestatem hominibus representabat: non idcirco imago Dei dicendus est ipse; sed vel doctrina ejus, vel ea Dei similitudo, quam in hominibus doctrina sua imprimebat & relinquebat. Nam ut Philosophi recte dicunt: Imago representat non effective sed formaliter se ipsa. Pictor effective representat, imago vero a pictore facta, representat formaliter. Quod si pertinaciter Socinus urgeat Christum ratione doctrina dicendum esse imaginem Dei: pari ratione dicam ego omnes Apostolos, omnes Predicatores, atque Doctores in Ecclesia dicendos esse imagines Dei, quod eandem quam Christus doctrinam doceant; & eadem omnino ratione Deum hominibus representant. Parum vero refert, quod eam doctrinam Apostoli à Christo acceperint, Christusque fuerit primarius hujus doctrina auctor. Nam etiamsi aliquis primarius esset inventor artis pingendi; tamen postquam illam artem aliis communicavisset, eaque ab aliis pictoribus, atque ab illo primario imagines pingerentur: Ita etiamsi Christus sua doctrina sit primarius auctor: tamen postquam illam communicavit Apostolis, eaque Apostoli ea doctrina uti poterant, & de facto usi sunt, ad exprimendam divinam hominibus voluntatem: & sic non minus essent imagines Dei quam Christus, quod tamen Scriptura dici prohibet: cum hoc veluti singulare Christi attributum soli Christo assignet.

Imago an debeat esse visibilis.

Non erit etiam difficile solvere quandam Statorij objectionem, cum ait, imaginem esse debere visibilem, ut ea conspecta in cognitionem Dei veniamus. Christus autem ratione essentia divina est nobis prorsus invisibilis, neque ab ullo in hac vita illa ratione conspectus est. Non igitur secundum

Quam essentiam est imago Dei. Negandum imprimis est Statorio omnem imaginem visibilem esse debere: Sic enim nulla essent imagines Spirituales; qua proculdubio non corporis oculis; sed animi videri possunt. Quem admodum enim non sola corpora sunt in mundo; sed etiam Spiritus: ita non corporea solum, & visibiles imagines concedenda sunt; sed & incorporea atque invisibiles. Nonne anima nostra est ad imaginem & similitudinem Dei condita? quam tamen imaginem nullus oculus corporeus conspexit. Angeli vero multo perfectiores sunt Dei imagines quam homo; & multo perfectius divinam potentiam representant propter majorem suam naturam perfectionem: neque tamen quisquam Angelum oculis corporeis vidit. At instabant, saltem oculis incorporeis imaginem quamlibet conspicuam esse debere. Fateor, sed & Christum hoc modo conspicuum esse: in hac quidem vita, oculis cordis illuminatis per Fidem; in altera vero vita oculis iisdem lumine Glorie collustratis. & sic illud cum Doctoribus intelligo: Qui videt me, videt & Patrem meum, hoc est, qui videt per Fidem meam divinitatem; videt quoque eadem fide Patrem meum; quia eadem est utriusque divinitas & natura; meritoque ibidem Apostolos arguit Christus, quod cum tanto tempore cum illis ageret, & versaretur, nec dum tamen ab eis cognosceretur: quia omnis illa Apostolorum cognitio in externa illa hominis cognitione versabatur; nec penetrabat ad cognoscendum in homine illo verum Deum. In altera vero vita qui videt Filium clara visione, videt etiam eo ipso Patris essentiam, qua illi cum Filio est communis. Quare negandum est secundo Statorio, Christum ratione essentia divina nobis esse invisibilem. Est enim visibilis hic per fidem, in altera vero vita per speciem. Negandum denique Christum nobis esse propositum à Deo per modum imaginis, sed per modum Doctoris. Non enim ad spectandum sed ad audiendum datus est nobis, dicente Patre: Hic est Filius meus dilectus; ipsum audite. Quamquam etiamsi nobis esset invisibilis, non tamen ideo non esset imago Dei: & quamvis ea imago non videretur à nobis; videretur tamen ab Angelis & beatis, cum non propter nos Christus precipue sit imago Dei; sed id habeat ex natura sua, tamen si nulla Creatura esset in mundo à qua conspici posset. Non igitur recte arguit Statorius, nil nobis profuturam talem imaginem; si à nobis videri non possit. Id enim verum est de his imaginibus, qua nostra causa potissimum elaborantur, & fiunt ut nobis serviant. sunt vero alie imagines naturales & longe altioris ordinis quae à nobis minimè pendent. Talis imago est etiam Christus Filius Dei.

Imago corporea & Spiritualis.

Qui videt Christum videt & Patrem.

Christus quo ad divinam essentiam visibilis est oculis Fidei.

Christus non per modum imaginis est nobis propositus.

Non omnes imagines ad nos referri necesse est.

Ait So-

Socinus quo  
sensu conce-  
dit Filium  
Dei natura-  
lem.

Non omne  
id naturale  
dicendum  
est, cum quo  
nati sumus.

1

2

3

Quis adop-  
tivus Filius.

Ait Socinus Christum dici posse naturalem Dei Filium, non quod de substantia Dei sit genitus; sed quod sit natus Filius Dei; & ab ipsa natiuitate fuerit Filius Dei. Verum Socinus, si loquitur de natiuitate Christi secundum carnem, sic cum Christus nullo modo fuerit Filius Dei secundum carnem, neque naturalis Filius dici poterit. Si vero de similitudine cum Deo Sapientia, Sanctitatis, potestatis: Sic cum secundum Socinum Christus non sit cum iis donis natus, non poterit etiam hoc respectu dici natus Filius Dei. Sed & illud advertere debuit Socinus, non quicquid ab ipsa natiuitate alicui competit, illico naturale dicendum esse. Multa enim homini ab ipsa natiuitate dona supernaturalia ex gratia & liberalitate divina conferri possunt, quæ tamen idcirco in numero naturalium reponi non debent. Quid enim vetat Deum, sicut toto tempore procedente, & primo vitæ initio homini aliquid super naturam conferre? Certè Angelos & primum hominem vera Theologia docet creatos esse à Deo, sanctitate & gratia, & donis supernaturalibus ornatos. Num igitur gratia illis fuisse naturalis credenda est? Ioannes repletus est spiritu Sancto ex utero matris suæ, ergo ne propter eam naturale donum consecutus? Quocirca & si Christus à sua natiuitate omnibus diuina gratia donis ornatus fuerit: non ideo tamen dici possunt illa dona naturalia, nec Christus eorum respectu Filius naturalis. At inquit, saltem idcirco adoptivus non esset? Adoptivus enim ille dicitur, qui cum antè non fuerit Filius, factus est Filius ex gratia & voluntate patris. Respondeo: minimè vero ea ratione defendi posset Christum non esse adoptivum Dei Filium: Non enim solum ille est adoptivus, qui cum ante non esset, factus est ex gratia Filius; sed & ille, qui cum ex natura non sit Filius, adoptatus est ex gratia in Filium ab ipsa natiuitate. Neque enim ex eo quod ab ipsa natiuitate est Filius, sequitur esse Filium naturalem: potest enim ab ipsa natiuitate aliquid ex gratia & voluntate alterius alicui competere, quod non idcirco erit naturale, cum naturale illud sit; quod est natura proprium, vel ad naturam consequitur.

Christum pro ea veritate quod se verum Filium Dei diceret, mortuum esse. Cap. 25.

**N**on minus efficax est illud Catholicorum nostrorum Argumentum, quo probant Christum non solum totam vitam talem se Dei Filium prædicasse.

dicasse: qui verus esset Dei Filius, verè, de eius substantia genitus; sed etiam pro ea veritate multa passum & non semel lapidibus appetitum, tandem vero & ad mortem crudelissimam condemnatum esse: ita ut hanc veritatem proprio sanguine Christus obsignaverit. Quis enim ignoret Christum singularem quendam Dei Filium se prædicasse, nempe in cælis natum non in terra; ut potè, qui de cælo descenderit in hunc mundum, priusque re ipsa extiterit in cælo, quàm in terras se demiserit. Ioan. 3. v. 13. v. 31. Ioan. 6. v. 63. Deinde talem se Filium affirmabat qui esset per omnia æqualis Patri. Ioan. 5. v. 8. Propterea enim Iudei quærebant eum interficere; quod non solum soluebat Sabbatum; sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo: ita ut quæcumque Pater faceret, hæc & Filius similiter faceret; & sicut Pater habet vitam in semetipso; sic & Filius haberet vitam in semetipso. Hæc autem tanta æqualitas, sine diuina natura communicatione intelligi non potest. Nullo enim modo creatura Deo æqualis esse potest. Præterea talem se dicebat Dei Filium, qui esset unum cum Patre, vnum inquam potentia & natura: quod & si blasphemum Iudeis videretur, quod ea ratione, homo cum esset, faceret se Deum: tamen Christus non destitit urgere Iudeos, ut id sine dubio crederent, & si illis creditu difficile videretur; & tandem in ea confessione cum persisteret, parum abfuit quin lapidibus obrutus esset. Id vero maximè observandum est, quod & si Iudei ex Christi verbis colligerent, Christum talem se facere Filium Dei, qui esset ejusdem cum Patre natura, idque non semel Christo obiecerunt tanquàm blasphemum; quod nullo modo putarent esse posse, ut homo sit etiam verus Deus: tamen Christus nunquàm illos falsæ opinionis redarguit, neque se id dixisse unquàm negavit; sed semper illos urgere perstitit, ut nihilominus crederent, quantumvis id incredibile & blasphemum illis videretur. Et tamen si res aliter se haberet, uno verbo totam difficultatem tollere potuisset, dicendo se nunquam affirmasse, talem se esse Dei filium, qualem illi obiciebant. Et certe dissimulare tale responsum non potuisset Christus, ne illis justam erroris occasionem & scandali dedisse videretur. Tandem ad iudicium Caiphe adductus, & in Dei nomine adjuratus à Pontifice, in iudicio publico juridicè interrogatur, utrum esset Dei Filius an non? Scilicet talis Dei Filius qualem illi ex verbis ipsius non semel collegerant. Verum Christus minimè tergiversatus est; sed disertis verbis respondit: Ego sum, Tu dixisti. Marci 14. v. 62. Matth. 26. v. 64. & ad id confirmandum adiecit: Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, hoc est, quem vos purum hominem putatis, videbitis.

Christus  
prædicavit  
se Filium Dei  
de cælo  
ortum,

æqualem  
Deo;

Vnum cum  
Patre.

In ea confes-  
sione con-  
stans per-  
stitit.

Adjuratus  
affirmavit  
ad mentem  
Iudeorum;

videbitis aequali cum Deo honore & gloria in caelo residentem à dextris Dei.

Socinus re-  
fellitur:

Quaestio à  
Christo Iu-  
dæis propo-  
sita. Chri-  
stus cujus  
Filius est.  
Divinam  
Christi na-  
turam indi-  
cat.

Socinus non aliter ad hæc respondet, nisi quod Christus se singularem quendam Filium Dei predicaret; non quod esset de substantia Dei genitus; sed quod esset ille Dei Filius, qui dicitur Christus, hoc enim est esse Filium Dei, quod Christum. At qui jam ostendimus, Christum non quomodocumque singularem se filium Dei assertisse, sed talem qui Deus esset; cumque sensum verborum Christi & Iudæi intelligebant, & Christus non improbat. Quum igitur rogantibus Iudæis fatebatur se esse Filium Dei, proculdubio talem Filium se dicebat, qualem tunc Iudæi interrogabant. Hoc enim lex responsionis exposcit, ut ad mentem interroganti respondeatur, maxime cum in re omnium gravissima & maxima juridicè instituitur interrogatio. Ac ut ad ea que jam dicta sunt hoc etiam adjungam, ex quo mens Christi se Filium Dei asserentis sat liquido constat; Illa nimirum à Christo Iudæis proposita quaestio, Christus cujus nam esset Filius, manifestè ostendit, qualem Filium Dei se faceret. Hoc enim est quod quaerit à Iudæis cujus nam sit Christus secundum naturam Filius? Cum verò respondissent Iudæi esse Filium Davidis, & nihil de Christo nisi ut de puro homine sentirent: Obicit Iudæis tale argumentum, quod illi dissolvere nulla ratione poterant, ipso Evangelista teste: Quomodo ergo David in Spiritu vocatum Dominum si Filius ejus est. Quod argumentum nil plane roboris haberet, nisi urgeretur in Christo alia natura, secundum quam Christus ex Davide esse non poterat, nec Filius ejus esse. Nam si accidentaria tantum ratione Christus futurus erat Dominus Davidis: non fuisset ea quaestio difficilis; nec aliquid aut novum & in usitatum, aut incredibile contineret. Quot enim sunt, fueruntque, Filij qui Domini secundum quid, & per accidens parentum suorum efficiebantur? Respondereque poterant facile Iudæi, Christum ex Davide nasciturum; & postea divinitus futurum Dominum Davidis. At cum omnem vim sui argumenti in eo collocet Christus: Quomodo Dominus, si Filius? profecto indicat in Christo aliam naturam, secundum quam non sit possibile eum qui Dominus Davidis esset, Filium ejus esse. Hæc porro altera natura in Christo indicatur in eodem Psalmo 109. cum dicitur Dominus, & illis aliis verbis: Sede à dextris meis. Demum & illis: Ex utero ante luciferum genuite te. Talis enim Dominus vocatur Christus, qui ad dexteram Dei sedeat; & ex Deo ante mundum conditum genitus sit.

Perperam autem dicitur à Socino, esse Filium Dei idem esse quod Christum,

Christum, hoc est unctum esse. Fuit enim Filius Dei, antequam Christus, hoc est unctus esset: unctus enim est in humana natura Spiritu Sancto, omnium donorum ex ipso procedentium plenitudine: quin & ipsa divinitatis hypostatica unione. Porro filius Dei erat antequam fieret homo, & antequam de caelo descenderet in terras, & omnino ante mundi constitutionem & omnem aeternitatem, ex utero ante Luciferum genitus, & à diebus aeternitatis.

Nec minus ineptè Socinus mentem Iudæorum exponit, cum dicerent: Nos legem habemus, secundum quam debet mori, quia Filium Dei se fecit. Hanc enim legem vult esse illam Deut. 18. Propheta qui arrogantia depravatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi ut diceret; aut ex nomine alienorum Deorum, interficeretur. Longè enim aliud Iudæi contra Christum urgebant, non quod à Deo missum se fingeret, neque quod ea que à Deo illi præcepta non sunt loqueretur; sed quod blasphema contra Deum proferreret, Filium Dei se esse asserendo, cum homo esset, divinam sibi naturam arrogando: quod hominis conditionem excedere videbatur. Quare eam legem, qua blasphemus illis licebat interficere, proferebant & urgebant, non legem contra fictos Prophetas.

Denique Socinus ait. Etsi concederetur Christum ex substantia Dei genitum: non tamen ex eo sequitur Christum esse verum Deum. Nemo enim sui ipsius Filius esse potest. Si ergo Christus est Filius veri Dei, non potest esse ille verus Deus. Nimirum uti solet Socinus fallitur. Perspicuum enim est, si de substantia Dei generatus est, Deum verum esse: ut pote qui Dei substantiam in generatione obtinuit. Nisi fortè qui Dei naturam in se habet, Deus verus esse non possit. Hinc tamen non sequitur sui ipsius Filium esse, sed Dei veri qui est Pater; qui etsi est idem Deus cum Filio, non tamen est eadem persona cum Filio.

Socini argu-  
mentum ex-  
ploditur.

#### De æterna Filij Dei generatione Scripturæ testimonia. Cap. 26.

Generationem Filij Dei ab æterno fuisse, multa Ecclesie Catholica per suadent. Ac primam locum Psalmi, quem modo produximus, ubi Ex utero ante Deo seu Domino Dominus dicit: Ex utero ante Luciferum genui te: te luciferum hoc est, ex mea substantia, antequam esset Lucifer, genui te. Quamvis enim in Hebræo variè ea verba legi possunt: tamen inter alios modos hic quoque unus est; quem septuaginta interpretes sunt sequuti: Qui quidem non

eo interpre-  
tum verho  
quanta auto-  
ritatis.

dem non solum sensum; sed & verba ipsa Hebraea ad hunc modum reddiderunt, ut docet Genebrardus in hunc Psalmi locum. Quanta vero sit authoritas versionis 70. vel ex eo colligi potest: quod eam versionem Christus & Apostoli non solum probarunt; sed etiam sequuti sunt & usi ad probanda dogmata Fidei: precipue vero eo psalmo quem tractamus, & Christus usus est, secundum versionem 70. ad probandam suam divinitatem (citavit enim Psalmi verba, prout 70. verterunt. Dixit Dominus Domino meo) & Paulus in Epistola ad Hebraeos probat Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech: quod ita scriptum sit in dicto Psalmo, nempe secundum versionem 70. Paulo enim aliter in Hebræo habetur. Et quamvis versionem 70. queratur Hieronymus corruptam esse: de eo tamen Psalmo quem citatum in Scripturis & Sanctis Patribus incorrupte usus perpetuus Ecclesia conservavit, dubitare non possumus. Etsi autem ab aliquibus ea psalmi verba ad generationem Christi ex utero virginis, suo modo accommodentur: tamen neque precipue, neque literaliter. Recteque probat D. Chrysostomus non posse secundum literam de generatione ex virgine exprimi: tum quia singularis quedam Christi dignitas iis verbis exprimitur, nihil verò ad dignitatem Christi faciat, quod mane ante auroram sit genitus. ceterum quod ex Dei substantia ante stellarum & mundi creationem sit prognatus plurimum. tum quia illa verba: Ex utero genui te, de proprio utero, non de alieno intelligenda sunt: hoc est, ex meo utero, ex mea substantia fecunditate (uterus enim fecunditate divine substantie significat) genui te. Ita enim fert omnis modus loquendi, cum quis ex utero generare dicitur, intelligitur ex se & propria substantia generare. Quod si quis de alieno utero intelligere vellet, non absolute diceret ex utero; sed cum adjunctione talis vel talis uteri: tum quia non dicitur, ante ortum Luciferi; sed ante Luciferum, hoc est, antequam esset, vel crearetur Lucifer, quod cum aliis quoque Scripturis de Christi aternitate optime concordat. Ioannis 1. In principio erat verbum. Coll. 1. Primogenitus omnis creatura. Mich. 5. Egressus ejus ab initio à diebus aternitatis.

Egressus  
Christi ab  
initio à die-  
bus aterni-  
tatis.

Alter locus est, Mich. 5. v. 2. Ex te (Bethleem) mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio à diebus aternitatis. Egressus Christi nativitatem ejus designat: duplex vero Christi egressio commemoratur, & futura in Bethleem, & ea qui ab initio à diebus aternitatis extitit; qua est duplex Christi nativitas, temporalis & aterna. Ineptè verò à nonnullis egressus promissio exponitur. Nativitas enim non promissio nativitatis verbo egrediendi significatur: neque rectè quis diceretur egressus vel natus,

natus, tunc cum est promissus: denique promissio Christi non fuit à diebus aternitatis; sed Adamo primum facta in paradiso. Nam quod adducunt similem locum ex Apoc. 13. v. 8. de agno occiso ab origine mundi, plus a quo inhxrent ordini verborum, vi constructionis latine neglecta. Non enim agnus dicitur occisus ab origine mundi; sed nomina dicuntur scripta ab origine mundi in Libro vitæ agni occisi: ut vel ex eo patet quod idem. Cap. 17. v. 8. repetitur. Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi. Socinus vero & Statorius Egressum à diebus aternitatis, volunt esse Egressum ex Bethleem ab antiquis progenitoribus: nempe à Davide, qui & Bethleemita fuit, & auctor stirpis ac Familie Christi. At certè nihil magni de Christo dixisset, quod egressus ejus ex Bethleem fuerit ab antiquis progenitoribus in Bethleem. Nam & nos omnes antiquissimum progenitorem nostrum Adamum habemus: ceteroqui magnum quid proculdubio his verbis indicare voluit Propheta, quod etsi Bethleem paruum esset oppidum, tamen magnum duce pariturum esset; qui & toti Israheli dominaretur, & esset Deus aternus. His accedit quod neque rectè diceretur: Egressus ejus à diebus aternitatis: eo quod progenitores ejus fuerint antiquissimi, sicut non rectè diceretur quis natus ab origine mundi; eo quod Adam primus parens noster fuerit ab origine mundi. In progenitoribus enim nostris quam diu sumus, non nascimur; sed solum cum extra progenitores esse incipimus. Porro hoc loco Egressus, nativitatem significat: & illa verba, Ex te egredietur, significant, ex te nascetur Christus. Illa demum verba, ab initio & à diebus aternitatis, egressus ex Bethleem accommodari non possunt; is siquidem non fuit à diebus aternitatis: Nam quod Socinus non aternitatem sed antiquitatem designari arbitratur, egregie fallitur. Etsi enim aliquando aternitas in Scriptura antiquitatem designet: tamen quando repetuntur vel duplicantur ista seu similia verba, vera aternitas designatur, ut observant Scripturæ interpretes. Psal. 9. v. 10. Deus regnavit in aternum & in sæculum sæculi, Psal. 89. A sæculo & in sæculum tu es Deus. Sepe etiam non duplicata veram aternitatem significant, maxime quando absolute ponuntur, absque omni determinatione. uti hoc loco: Non enim de aliquo determinato initio, seu de alicujus determinate aternitatis diebus; sed absolute de initio & aternitate sermo est. Notant vero Doctores, Egressus secundo loco positum esse nomen plurale non singulare. Solent enim Hebraei ad exprimendam rei alicujus magnitudinem uti nomine plurali pro singulari. Sic Gen. 1. v. 1. Deus in plurali dicitur Dij. Eloim. Psal. 26. v. 8. Facies Domini, dicitur

Socini inter-  
pretatio fal-  
sa.

1.

2.

Egressus in  
plurali.

R

ni, dicitur in plurali Facies. Prov. 1. v. 20. Sapientia Dei, dicitur Sapientia. Job. 40. v. 10. Behemoth magna bestia, vocatur Bestia. Pari ergo ratione Egressus ille Christi aeternus, propter ejus inexplicabilem magnitudinem ( generationem enim ejus quis enarrabit? ) dicitur in plurali Egressus.

Christus primogenitus omnis creaturae, hoc est, ante omnem creaturam genitus. Addit vero rationem Apostolus, quia in ipso condita sunt universa, ut ex ea ratione intelligeremus; quamobrem illum ante omnem creaturam genitum dixerit, quod sit omnium creaturarum author & effectrix causa. Necessesse enim est ante omnes esse, qui omnium est causa & origo. Respondent esse primogenitum, respectu nova creaturae. At Paulus absolute dicit omnis creaturae nunquam autem creatura nomine absolute dicta nova creatura intelligitur; nisi cum aliqua determinatione: ut cum dicitur. In Christo nova Creatura 1. Cor. 5. v. 15. Creati in Christo in operibus bonis. Ephe. 2. v. 10. Et Jacobi. 1. v. 18. Voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium illud quod creaturae ejus. nempe Creaturae quam dixerat genitam verbo veritatis. Deinde Paulus satis explicat quid nomine omnis creaturae intellexerit: nempe omnia visibilia, & invisibilia. Sive thronos, sive dominationes. Certè Angeli non sunt a Christo facti nova Creatura, siquidem ante Christum donati sunt gratia & gloria ab origine mundi. Homines enim quia per Christum consecuturi erant gloriam, expectabant Christi adventum, ut per eum glorificarentur. At Angeli a Christo eo modo non dependebant. Deinde Christus non venit ad salvandas Angelos sed homines, hos ergo non illos fecit novas creaturas. Denique nos per Christum efficitur nova creatura, quatenus renovamur interior in sanctitate & justitia veritatis, & regeneramur ex Spiritu Sancto, & nascimur Filij Dei. Angeli vero nunquam in sanctitate renovati a Christo, neque renati, & rursus facti sunt Filij Dei. Non igitur sunt facti per Christum nova creatura. Nam quod dicunt Angelos esse reformatos non secundum interiorem Spiritum; sed secundum externam politiam quod nimirum fuit in novam Rempublicam cum novo ordine & officiorum assignatione reducti: Hoc inquam non sufficit ad hoc ut dicantur facti nova creaturae. que in scripturis ad interiorem hominem praecipue spectat, secundum quem renascimur in Christo, & efficitur Filij Dei cum novo corde & Spiritu, juxta id quod David expetebat: Cor mundum crea in me Deus; & Spiritum rectum in nova in visceribus meis. Iam & illud considerandum est Paulum nullam

Angeli non facti nova creatura a Christo.

1.

2.

nullam facere hoc loco mentionem renovationis, seu reformationis; sed tantum creationis; imo postquam de creatione dixisset, incipit ex professo, v. 18. de reformatione agere, ac si de ea nil ante egisset. Et ipse, inquit, est Caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per Sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in caelis sunt. Praeterea illa verba: Et ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant. Satis ostendunt Christum fuisse ante Angelos: neque dici potest quod dignitate non antiquitate antecesserit. Nam idcirco dixit, esse ante omnes, quia omnia in ipso constant, ipse omnia sustinet, est omnium author. Causam autem natura esse priorem effectu oportet. Et quemadmodum ante dixerat esse primogenitum omnis creaturae; quia in ipso condita sunt universa: ita nunc ait esse ante omnes, quia omnia in ipso constant. Frigida vero est illa Statorij conjectura, cum ait idcirco Paulum non dixisse in Christo conditum esse caelum & terram; sed universa in caelis & in terra, ut non omnem omnino creaturam, sed tantum novam intelligeremus. Quasi vero novum sit in Scripturis, cum de omnibus omnino Creaturis agitur; eas tantum quae in caelis & in terra sunt commemorare. ut cum in Psalmo 134. Propheta ostendere vult: Deum nostrum esse pra omnibus Diis, ex eo quod omnia quaecumque, voluit Dominus fecit in caelo & in terra. Num ergo dicemus caelum ipsum & terram non esse facta a Deo? Simili ratione cum petimus, Fiat voluntas tua sicut in caelo & in terra num excludimus ipsum caelum & terram a voluntate Dei? Pari ergo ratione cum Paulus ait, omnia in caelis & in terris esse condita in Christo, non excludit caelum & terram a creatione; cum idem sit conditor eorum quae sunt in caelo & ipsius caeli; & qui tam praestantes creaturas condidit in caelo, & in terra, Angelos dico & homines: multo magis ipsum caelum condidit sequiturque, est Paulus modum loquendi scripturae, quae nomine omnium quae in caelis & terra sunt omnia omnino complecti consuevit. Nolo hic commemorare illam exceptionem quorundam, qui Christum primogenitum omnis creaturae per praedestinationem interpretantur. Hanc enim interpretationem, contra quos agimus, rejiciunt, & merito, cum Paulus det statim rationem, quia in ipso condita sunt universa: ut enim conderet universa, re ipsa ante universorum creationem existere debuit, non praedestinatione. At obijciunt, Primogenitus, inquit, aliquarum rerum, est ex ordine illarum rerum, v. g. primogenitum, erit est ovis. Cum igitur Christus dicitur primogenitus omnis creaturae, & ipse

Statorij conjectura.

Obiectio Adversariorum solvitur.

R 2

Primo genitus omnis creatura duplici ratione intelligi potest.

Et ipse una ex creaturis, non super creaturarum conditionem. Respondeo: Dupliciter dici posse Primogenitum aliquarum rerum; vel quod ante sit genitus quā ille res existerent; vel quod ex genere earum rerum sit primogenitus. Priori modo non est necesse esse ejusdem conditionis cum illis rebus; sed posteriori. Filius vero Dei dicitur primogenitus omnis creatura non posteriori; sed priori modo. Non enim dicitur primogenitus omnis creatura quasi una ex creaturis; sed quod ante omnem creaturam sit genitus, uti ostensum est. Sic etiam Sapientia dicitur primogenita ante omnem Creaturam. Eccl. 24. *Que tamen creatura non erat: illa enim Sapientia, divinam quoque complectitur, que tamen creatura non est.* Et sane Apostolus ipse Christum a numero Creaturarum eximit; cum illum genitum, has creatas dicit. Si enim dixisset primo creatum omnis creatura facile intelligeremus unam ex creaturis esse. at cum dixit: Primogenitum omnis creature, distinxit illum a creaturis: quod hæc creatura; ille genitus sit.

Filii Dei generatio est Verbi divini generatio.

Firmentis actione.

Qua producit Verbum Substantiale.

Per quod facta sunt omnia.

Ariani depravant D. Ioannis Evangelium.

D. Ioa. agit

Ad extremum Divus Ioannes æternam Christi generationem testatur initio sui Evangelij: In principio erat verbum & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Filij enim ex Dei substantia generatio est ipsa verbi divini productio. Deus enim cum sit Spiritus, & mens, non potest alia quam mentis actione generare, quemadmodum & corpora corporali actione sua nature proportionata generant. Mentis autem actio est intellectio, id autem quod intelligendo producitur est verbum, quod est veluti proles quædam mentis. Et nostra quidem intellectio finita est, nec omnia comprehendit, quo fit, ut & verbum intelligendo productum, sit finitum & limitatum: divina verò intellectio est infinita, quare & verbum per ipsam productum erit infinitum. Porro cum in Deo accidentia esse non possint; verbum divinum non erit accidens, sed substantia: ac ex consequenti erit, consubstantiale Deo, hoc est ejusdem cum Deo substantie, atque adeo Deus ipse. Hoc igitur divinum verbum ait D. Ioannes, In principio, hoc est, antequam Mundus & omnia crearentur, atque adeo ab æterno existisse. Omnia enim per ipsum facta sunt. v. 3. Et mundus per ipsum factus est. v. 10. Verum Ariani omnia hæc pervertunt. Nam & nomine principij, principium Evangelij intelligunt; & nomine verbi non verbum divinum in Deo existens; sed Christum hominem sic appellatum, quod uti verbo voluntatem nostram manifestamus: ita Deus suam voluntatem nobis per Christum manifestavit. Denique omnia per Christum facta, renovata, & reformata exponunt. At mens D. Ioannis has interpretationes non patitur. Clarum enim est D. Evangelistam agere primum de verbo antequam caro fieret: tum

ret: tum de verbo, postquam factum caro est. Verbum enim quod erat in principio, & apud Deum; & erat ipse Deus, tandem ait esse carnem factum, & habitasse in nobis. Quatuor vero dicit de verbo antequam caro fieret. Docet primum quando fuerit hoc verbum, In principio, antequam omnia fierent, ubi fuerit? apud Deum, quid fuerit? Deus erat verbum: quid tum egerit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Porro tum de verbo postquam caro factum est agit, non dicit In principio fuisse, sed factum esse, hoc est in tempore capisse nec apud Deum fuisse; sed apud homines: Et habitavit, inquit, in nobis. præterea non ait fuisse Deum; sed factum esse carnem: non ait mundum, & omnia per ipsum esse facta; sed gratiam & veritatem per ipsum esse factam: ita ut hæc distinctio verbi ante carnem, & verbi post carnem, tam clarè ab Evangelista expressa docere debeat Arianos, ea quæ de verbo ante carnem narrantur, de Christo homine intelligenda non esse. Nam quod ait Socinus vocem Græcam Verbum caro factum esse non fuit legendum. Verbum, de quo tam præclara dicta sunt, non fuit nisi caro: refelli ex eo primum potest, quod nullus hætenus ex Græcis Latinisve, ac ne ex Arianis quidem ita legit; sed omnes unanimi consensu legerunt; verbum caro factum est. Deinde mens D. Ioannis manifesta est: vult enim ostendere, non quid verbum fuerit; sed quid postea factum sit. Nam quid fuerit jam prius docuerat, quando fuerit, ubi fuerit, quid egerit: jam verò cum in sequentibus his omnia opposita doceat de verbo, manifestum est non velle docere quid fuerit, sed quid factum sit. Non igitur mirum est eam ob causam omnes Christianos hætenus D. Ioannis verba hoc modo legisse. Verbum caro factum est. Cum res ipsa loquatur non aliter esse legenda. Deinde qui credibile est Ioan. dicere voluisse, verbum nil fuisse nisi carnem: cum luculenter ante dixerit fuisse Deum, Deus erat verbum. An vero qui Deus est nil aliud est nisi caro? Quomodo vero Christus tunc caro erat, cum nondum esset apud homines, sed apud Deum. Cum enim caro factus est, inter homines esse cepit; & cum hominibus versatus est, antequam vero caro fieret solum apud Deum fuit; tanquam unigenitus in sinu Patris. Nam quod exponunt idcirco apud Deum fuisse: quod initio Evangelij hominibus non esset agnitus sed soli Deo; hæc expositio præterquam quod dura est & impropria, est etiam falsissima. Quis enim non videt statim ac Christus natus est in mundum, & Angelis, & Pastoribus, & Magis, & Anne, & Simconi, & aliis piis hominibus fuisse notum? Ergo ea ratione apud homines, non solum apud Deum fuisse dicendus esset Maxime cum

1. De verbo ante carnem.

2. De verbo post carnem.

Verbum caro factum est non fuit legendum.

Verbum erat apud Deum in principio.



D. Ioan. de verbo post carnem dicat, habitasse in nobis: Quod si idcirco dicat Socinus, Christum ab initio Evangelij soli Deo fuisse cognitum, quod paucis hominibus fuerit cognitum: certe de Angelis id dicere non potest, cum multitudo exercitus Angelorum Christum in natiuitate agnouerit, atq; predicauerit, neque dubium est omnibus Angelis tunc cognitum fuisse. Deinde siue pauci, siue multi homines fuerint, qui tunc cognouerunt Christum: tamen negari non debet per Christum apud homines cognitionem fuisse. vere enim fuit hominibus notus. Sed & illud magnum argumentum est D. Ioannem de verbo ante carnem loquutum, quod addit: Omnia per ipsum facta esse, & sine ipso factum esse nihil quod factum est. Præculdubio enim antequam uerbum caro fuerat, omnia per uerbum facta fuerunt. Falsè uero interpretatur Socinus, omnia ad Evangelium spectantia facta esse per Christum. Nam nil tale adicit Evangelista, neque autem ullam Evangelij mentionem facit; sed absolute loquitur de effectu omnium rerum quæcumq; facta sunt. Parum uero refert, quod Evangelium scribat Ioannes: nam in Evangelio de rebus etiã ante uel extra Evangelium factis, potest esse narratio: cum & in hoc Capite, per Moysen esse datam legem dicatur; quod tamen multo ante Evangelium est factum. Satis uero est, ut quod in Evangelio narratur; aliquo modo ad Evangelium spectet: licet ante Evangelij tempus sit factum. Spectat uero plurimum ad Evangelium, quod uerbum diuinum caro factum, antequam fieret caro, fuerit in principio apud Deum, & quod per ipsum omnia sint condita. Deinde D. Ioannes quod dixerat: Omnia per uerbum facta esse; alius uerbis exponit. Et mundus per ipsum factus est. Non igitur ea quæ sub Evangelio facta sunt: sed mundus ipse per uerbum factus est? Quis uero mundus? Num nouus & reformatus mundus? In mundo inquit erat, & mundus per ipsum factus est & mundus eum non cognouit. Scilicet is mundus in quo Christus erat, & qui eum non cognouit, factus est per Christum, qui non est mundus nouus, nec reformatus: quia non ad mundum nouum & reformatum uenerat Christus; sed ad ueterem, & nondum reformatum mundum. Anne mundus reformatus erat ille, qui Christum non agnouit? ea siquidem reformatio præcipue in Christi cognitione consistit.

Mundus qui per Christum factus est non cognouit. Temerarius autem est Socinus, cum ait alium esse mundum in quo Christus erat; alium qui per ipsum factus est, alium qui eum non cognouit. Mens enim D. Ioannis est ostendere mundi ingratitude, quod cum per Christum factus fuerit, factorem suum non agnouerit: quod & in proxima sententia repetit. In propria uenit & sui eum non receperunt. In propria enim

Omnia per uerbum facta sunt.

Mundus per uerbum factus est.

pria enim uenit cum in mundum uenit, quia mundus per ipsum factus est, sicut cum Dominus uenit in propriam domum quam edificauit; & tamen mundus nec agnouit eum, nec recepit. Ut autem constet ingratum fuisse mundum, necesse est eundem esse mundum, qui beneficium acceperit; & qui benefactorem non agnouit. Idem etiam ordo uerborum postulat: ut quemadmodum in alijs sententijs D. Ioannis in hoc capite uerbum in fine positum repetatur in principio alterius sententiæ: ita hic quoq; factum existimare debemus; quod & articulus præfixus in omnibus tribus locis uoci mundus, satis indicat.

Ex dictis etiam rationibus patet, cum D. Ioannes ait: In principio erat uerbum, non de principio Evangelij loqui; sed de principio antequam omnia fierent, & antequam mundus esset factus: hoc est de ea, quæ antecedit omnia, æternitate. Sed de hoc loco alijs fusius. Nunc enim satis est ad nostrum propositum, æternitatem generationis Filij Dei ostendisse. Patet etiam non rectè dici ab Adversarijs, Christum propterea dictum uerbum: quod per illum Deus nobis locutus est. Multifariam enim multisq; modis locutus est Deus in Prophetis, locutus est & per Apostolos, & nunc loquitur per Predicatores, neque tamè ullus eorum propterea dicitur uerbum, etiam si eadem omnia hi prædicarint, quæ Christus. Neque refert Christum fuisse primum auctorem harum ueritatum, & primum expositorem uoluntatis diuinæ: tum quia uerbo non solum primam uoluntatem nostram exponimus; sed & alias sequentes; nec minus est uerbum quo uoluntatem iam antè expositam exprimimus, quam fuerit illud primum uerbum, quo primo exposuimus sensum animi nostri: neque solum primum uerbum est uerbum; sed & alia. Quare non solum Christus esset dicendus uerbum, qui primo Dei uoluntatem nobis patefecit; sed & alij omnes, qui eandem uoluntatem à Christo expositam hominibus manifestarunt. Maxime cum eadem omnia quæ Christus manifestauit Apostolis, Apostoli quoque alijs manifestarint: etsi enim Christus majus quoddam & nobilitus uerbum esset, non idcirco tamen alij suo modo non essent uerba, etsi non ita præstantia ut Christus. Nam sic etiam alia nomina quæ Christo præcipue tribuuntur, hominibus quoq; suo modo competunt, ut nomen lucis, Pastoris, Filij Dei. Deniq; multo magis Spiritus Sanctus esset uerbum Dei, cum docuerit Apostolos omnem ueritatem, & illa multa de quibus Christus dixerat: Non potestis portare modo, cum autem uenit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem. Et tamè reuera nomen uerbi, scriptura, nulli alteri quam Christo tribuit: ita ut eum eo nomine absolute dicto tanquam

In principio, hoc est, ante omnia erat uerbum. Christus dicitur uerbum.

Non quod per illum Deus locutus sit nobis

Esset uerbum Christo soli conuenit.

Legatus nō  
dicitur ver-  
bum.

tanquam proprio designet, Apoc. 19. v. 13. Et nomen eius erat verbum Dei; imo & eo nomine ipsum à Spiritu Sancto secernit. 1. Ioannis. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater verbum & Spiritus Sanctus. Non igitur propter aliquid commune Christo cū aliis hoc nomen ipsi Christo convenit; sed propter aliquid illi soli proprium. Verum Adversarij non solum contra Scripturas sed & contra rationem peccant. Volunt enim Deum locutum esse per Christum tanquam per Legatum & internuncium suum. At quis Legatum verbum suum appellavit? Alia siquidem ratio est loquendi per verbum, alia per Legatum: Nam verba formamus tanquam signa notionum animi. At Legato non ut verbo utimur; sed ut verborum nostrorum relatore. Non igitur loqui per Legatum, est loqui per verbum. Quapropter & scriptura cum ait Deum per Christum nobis locutum, non appellat Christum verbum. ut Hebr. 1. v. 1. Novissime nobis locutus est in Filio: Vbi verò verbi nomen Christo tribuit, nullam legationis facit mentionem ut Ioan. 1. Nam quod ajunt v. 18. rationem reddi, propter quam Christus dictus sit verbum: Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit nobis; egregie falluntur, non enim his verbis dat causam D. Ioann. quare Christum dixerit verbum; sed probat quod immediatè dixerat, per solum Christum veritatem factam esse: quia solus vidit Deum, & in sinu Patris consiliū existens omnium secretorum Dei, enarravit nobis omnia. Simili ratione 1. Ioan. 2. vocat Christum verbum vitæ, non quod annunciaverit nobis vitam æternam; sed quod in se vitam contineat.

Verum de generatione Christi æterna hæc interim sufficiant. Quæquam etsi ea testimonia deessent, satis æterna generatio probaretur ex ipsa veri Filij Dei ratione. Verus enim Filius non potest dici nisi ex substantia patris sit genitus. Ex divina vero substantia generari non potest quis in tempore. Deus enim mutaretur. Necessè ergo est, ut sit genitus ante omne tempus, & ab omni æternitate. neque metuendum est, ut divina substantia generatione æterna mutetur. Quod enim ab æterno est, semper est, quod semper est non mutatur: id enim mutari dicitur; quod cum ante non fuerit incipit esse. Ergo neque divina substantia æterna generatione mutata est; cum omnem mutationem necesse sit in tempore esse.

QVART

QVARTA PARS  
REFUTATIONIS DE  
SATISFACTIONE  
CHRISTI.



Ante in Christum novi Ariani odio flagrant; ut nihil quod ad Christi dignitatem spectet intactum relinquunt. Nam quia divina illum natura spoliarunt, & omni qua ad divinam naturam consequitur dignitate; in officium quoque Servatoris involant, & per summam blasphemiam, & impietatem negant esse ejusmodi Servatorem, qui suo sanguine & morte pro peccatis nostris Deo satisfecerit, Deumque nobis reconciliaverit. id enim Scripturis repugnare arbitrantur. verum idcirco Servatorem dici quod salutis nobis viam annunciaverit, ostenderit, & morte sua confirmaverit. Scripsit ea de re librum satis magnum Faustus Socinus, novorum in Polonia Ariatorum Pater: in quo id unum probare contendit, Christum non esse talem qualem credimus Servatorem. Et sanè veteres illi Ariani aliquam honoris partem Christo reliquerunt; cum illum verum Servatorem & Redemptorem crederent. Isti vero etiam hoc sustulerunt, malos parentes pessimi Filij impietate superantes. Nos igitur hujus erroris fundamenta primum evertemus, tum breviter uti in re clarissima facere convenit, argumentorum capita indicabimus; quibus vera per Christum redemptio probatur.

Ariani in of-  
ficium Chri-  
sti involant.

Qualis Sal-  
vator Chri-  
stus secundū  
Arianos.

Novi Aria-  
ni magis im-  
pij.

Christum sua passione & morte Deum nobis recon-  
ciliasse. Cap. 27.

Primum igitur Socinus id maxime urget: Deum per Christum nobis non esse reconciliatum. Qua ratione cedo? Non legimus, inquit; usquam in Scriptura Deum nobis per Christum reconciliatum; sed tantum nos Deo reconciliatos esse. Rom. 5. v. 10. Cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filij eius. Hanc vero reconciliationem Deum ipsum perfecisse. Erat enim Deus in Christo mundum reconcilians sibi. 2. Cor. 4. v. 19. quod

S

v. 19. quod argumento est Deum ex se nobis non modo placatū, sed etiā reconciliatorē fuisse. Denique charitas & dilectio Dei summa predicatur, in eo quod nobis Christū dederit: quod satis ostendit Deū nobis reconciliari non debuisse, cum ex se erga nos benevolus esset. Io. 3. Sic Deus dilexit mundū ut Filium suum unigenitū daret. Ro. 5. v. 20. Commendat autem Deus charitatē suam in nobis, quoniam a cura adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. Ita isti Scripturis ad suam perniciem & Christi contumeliā abutuntur. Verum unicum ab istis quero: Num ita Deum absque Christo fuisse placatum hominibus credant, ut etiam peccata hominibus absq; Christo remissa arbitrentur? Si affirmant, sequetur frustra Filium Dei venisse in mundum ad tollenda peccata mundi, frustra q; pro peccatis mortuum esse. Deinde & illud consequetur, nulla esse peccata in mundo: Deo enim hominibus placato peccata eo ipso remissa sunt: peccata autem remissa manere non possunt. Omne enim debitum remissione tollitur. Nam si dicant, aliquibus non omnibus remitti peccata: certē cum Charitas illa & dilectio Dei in dando Filio sit erga omnes nullo excepto, omnibus quoq; nullo excepto, ut illius dilectionis peccata remittentur: aut certē ex illa Charitate Dei remissio peccatorum inferri non poterit. Iam si negent peccata hominibus eo ipso remissa esse, uti revera negandum est, sequitur Deum hominibus propter peccata iratum fuisse. Quae enim maior ira seu offensio cuiquam cogitari potest: quam cum is suo inimico remittere offensam nullatenus vult? Deinde Scriptura docet peccata antequam remittantur excusa Deo esse, & odio haberi. Odio enim Deo est impietas, & impietas opus; quod omnes illa Scriptura confirmant, quae Deum peccata detestari & abominari docent. Si igitur Deus eo non obstante quod Christum nobis dederit, & tantum salutis nostrae desiderium ostenderit, peccatis nostris iratus est, proculdubio placatione, & reconciliatione opus habet; quae & ira eius avertatur a nobis, & placatum se nobis ac benevolum reddat. Id vero petebat David cum diceret. Convertite nos Deus Salutaris noster & avertite iram tuam a nobis. Agnoscebat enim Deum ob peccata aversum ab hominibus & iratum: idcirco utrumq; postulabat & ut converteretur; & ut iram suam averteret. Non est igitur Deus in homines ita sua sponte propensus: ut ea ipsa sua propensione peccata omnibus sine ulla satisfactione remiserit. Porro quam diu non remittit, offensam se & iratum peccatoribus exhibet: quae circa placatione & reconciliatione opus habet.

Verum haec magis constabunt, ubi singula quae opponunt Adversarij diluerimus. Ajunt igitur non legi in Scripturis Deum nobis per Christum reconciliatum;

reconciliatum; sed nos Deo. Et merito id quidem: non enim Deus; sed nos reconciliatione indigemus: Deus est offensus, nos offendimus, nos opus habemus, ut reconciliemur Deo; non Deus nobis. Is enim qui delinquit & offendit alterum, debet conciliari ei quem offendit; non is qui offensus est. Deinde dico, quam diu nos reconciliamur Deo, neque Deus nobis est reconciliatus. Non enim remittit offensam, est igitur nobis offensus & iratus, & non nisi tunc deponit iram, quando remittit offensam. Eo igitur ipso quod nos per Christum sumus reconciliati Deo, factum est ut Deus esset nobis reconciliatus: neque enim alius modus est, quo reconciliemur Deo: nisi quum nobis offensam remittit: tunc enim iram suam avertit a nobis, & incipit nobis esse placatus.

Ajunt praeterea ipsum Deum esse authorem huius nostrae reconciliationis. Iam igitur bene erga nos affectus erat, nec ut reconciliaretur opus habebat. At luce clarius est, Deum antequam nos sibi reconciliavisset per Christum, peccata nostra & suam offensam nobis minime remississe. Fuit igitur iratus, non placatus. In hoc vero magnam suam in nos benevolentiam ostendit; quod nobis Christum dedit, per quem & nos ipsi reconciliemur, & ipse nobis. Poterat enim omnem reconciliationem respuere, nulla media salutis admittere, gratiam suam in aeternum hominibus negare. Hoc igitur quia non fecit, magno nos beneficio affecit, suamq; erga nos benevolentiam testatus est: non quod illico remiserit nobis omnem offensam; sed quod de rigore illo iustitiae quo uti poterat multum relaxans, obtulerit nobis tam singulare medium ad peccatorum remissionem obtinendam, & gratiam Dei consequendam.

Jam vero quod Dei charitas erga nos commendatur prius quam nos illi reconciliati fuisset, duplex charitas Dei consideranda est: Altera generalis, particularis altera. Particularis est illa, quae nos in gratiam recipit, remittendo peccata, & diligendo ut filios ac heredes vitae aeternae: quae Charitate solos justos & bonos Deus diligit. Generalis vero est, quae nos non quidem in gratiam recipit, nec reconciliatur nobis; sed offert nobis suam gratiam & reconciliationis modum per Christum sive media ab ipso instituta. Haec porro Charitas est communis omnibus hominibus; etiam malis & reprobis: Omnes enim homines vult salvos fieri. 1. Thim. 2. Ex ea Charitate profectum est primo, quod Deus noluit nobiscum summo jure agere uti potuit: potuit enim nolle unquam reconciliari; & omnia media ad gratiam suam consequendam in perpetuum nobis demum negare: Vti post peccatum malis Angelis fecit; quos illico panis aeternis addixit. Deinde ex

Deus per Christum reconciliatus nobis.

1.  
2.

Deus autor nostrae reconciliationis.

Dei charitas duplex.  
1. Particularis  
2. Generalis

Urgentur Ariani.

Deus post datum Christum est offensus & iratus peccatis

1. Non remittit peccata.

2. Odio habet peccatum.

inde ex eadē charitate processit etiam illa singularis gratia, qua dedit nobis Filium suum, per quem accessum ad Deum haberemus, & omnia media ad divinam gratiam recuperandam, & salutem obtinendam. Quam gratiam Christus ipse extollit mirum in modum. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Et Paulus 2. Eph. v. 4. *nimiam vocat.* Propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos; & cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo cuius gratia salvati estis. Et Rom. 5. v. 8. Commendat autem Charitatem suam Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus secundū tempus Christus pro nobis mortuus est. Verum haec ratio Charitas Dei non fecit nobis Deum reconciliatum; sed ad reconciliandum facilem. Non enim fecit Deum nobis remississe peccata; sed velle remittere, si media ab ipso oblata non neglexerimus: ita tamen, ut quam diu non remiserit nobis peccata maneat nobis offensus, & iratus. Hac veri charitate quosvis etiam pessimos & obduratos persequitur: cum illos quaeque admittit ad gratiam suam ex parte sua velit, & sit paratus: neque tamen idcirco est illis reconciliatus, cum neutiquam eis remiserit ipsorum peccata, unaque cum gratia eiusmodi maneat ira Dei super peccatores, & damnatio aeterna. Hinc igitur difficile non erit Scripturas, quae in se ipsam secum pugnare videntur conciliare. Certissimum enim est ex scripturis Deum non obstante hac charitate generali, esse nobis offensum & iratum quam diu nobis peccata non remittit, idque indicant ea loca scripturae in quibus dicitur Deus converti ad nos, & avertere iram suam a nobis, placari nobis & reconciliari. quod vel unicus psalmus 84. satis docet. In eo enim David predicat Dei voluntatem quam ostendit in remittendis peccatis. Mitigasti inquit, v. 4. iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuae Deus cum remittit peccata mitigat iram, & avertitur ab ira indignationis, ergo ante remissionem peccati erat iratus. Versu deinde 5. Converti nos Deus salutaris noster & averte iram tuam a nobis: Duo petit, & conversionem nostram ad Deum, & aversionem irae Dei a nobis; ex quo apparet iram Dei manere supra nos antequam nos ad Deum convertamur. Ad haec v. 6. Nunquid in aeternum irasceris nobis aut extends iram tuam a generatione in generationem? En Deus irascitur; & tandem iram suam cohibet. v. 7. Deus tu conversus vivificabis nos. Ergo Deus antequam convertatur, ad nos aversus fuit a nobis. Simili modo Scripturae illae intelligenda sunt, quae Deum placari a nobis testantur. Exodi 32. v. 14. Leu. 14. v. 29. 2. Par. 30. v. 2. Ezech. 16. v. 36. Porro non placatur nisi is qui fuit ante offensus & iratus. Huc etiam sensu Deus apud Zacha: C. 1. v. 3. ait. Convertimini ad me & convertar

Charitas generalis non reddit Deum ex inimico amicum.

convertar ad vos. Verè enim non erat conversus sed aversus, quamdiu peccata non remiserat. Et Ioel. 2. v. 13. Convertimini ad me in toto corde vestro, quis scit si convertatur & ignoscat? & innumera his similia in Scriptura inveniuntur, quibus Deus ostenditur esse iratus; quam diu peccata non remittit.

Christum pro peccatis nostris satisfecisse ex eo quod nos pretio sanguinis sui redemerit, ostenditur. Cap. 28.

**E**st Arianorum improbitas, ut ea in controversiam & disputationem vocent; quae extra omnem controversiam sunt, veluti prima Fidei Christiana principia ac elementa. Quis enim Christianorum dubitavit unquam Christum esse verum redemptorem nostrum, qui sanguine & morte sua pro peccatis nostris satisfecerit; & nobis tum peccatorum veniam, tum aeternam vitam promeruerit? Isti porro ajunt Sanguinem & Mortem Christi nullam vim veram & efficacitatem ad nostra peccata delenda; & nos ab aeterna morte liberandos habuisse: sed Deum ex mera sua liberalitate, & gratia peccata nobis gratis condonare, interveniente sanguine Christi, non ut pretio vero & satisfactione pro peccatis (hoc enim repugnare ajunt liberali condonationi) sed ut testimonio ad confirmanda Dei de liberali condonatione promissiones. nemo enim, inquiunt, dubitare poterit, veras esse Dei promissiones, ad quas confirmandas Christus sanguinem suum sudavit, imò eo ipso quivis fidelis certus erit se liberalem, & gratulam peccatorum remissionem à Deo consequuturum. Ita Secinus in suo de Christo Salvatore libro: quem Statorius & omnes in Polonia Ariani sequuntur. Verum quid hoc aliud est; quam omnem Christi redemptionem in Scripturis clarissime expositam evertere? Et enim Scripturae docent Christum nos redemisse, non quocumque modo sed sanguinis sui pretio; quod nil aliud est, quam sanguinis sui pretio debita peccatorum nostrorum dissolvit, proque peccatis nostris satisfecisse. Loca Scripturae sunt. Tit. 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem. 1. Tim. 2. v. 6. Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. Cor. 6. v. 19. Non estis vestri: empti enim estis pretio. 1. Petr. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, de vana vestra conversatione paterna; sed pretioso

Ariani omnem vim & efficacitatem Sanguini Christi denegant.

Christus sanguinis pretium dedit pro peccatis.

sed pretioso sanguine quasi agni immaculati. *Matth. 20. v. 28.* Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare & dare animam suam redemptionem pro multis. *Que omnia loca docent sanguinem Christi effusum esse ad nos redimendos, & liberandos: non quomodocumque; sed per modum pretij: Non igitur intercessit sanguis Christi ad nostram liberationem tantum per modum testimonij confirmantis divinas promissiones; sed per modum pretij quo vere & efficienter tollitur debitum. Sicut enim pretio dissolvuntur debita: ita sanguine Christi solutum est debitum peccatorum nostrorum.*

At inquit Socinus improprie & metaphorice Sanguinem Christi dicitur pretium redemptionis nostra. Nam ad propriam redemptionem opus est, ut pro captivo solvatur pretium ei qui captivum detinebat. In hac porro redemptione homines sunt captivi Demoni, in cujus potestatem, & servitutem durissimam per peccatum devenerunt. Pretium redemptionis est sanguis Christi, cui porro istud pretium esset vere datum & solutum? Non enim datum est Demoni, ut perse patet: cum Christus Deo non Demoni seipsum & sanguinem suum obtulerit. Non Deo, quia Deus est is qui redemptionem nostram procuravit, quocirca dedisse potius quam accepisse pretium dicendus est. Censet igitur Socinus sanguinem Christi dici pretium improprie; quod sicut dato pretio captivus liberatur, ita sanguine Christi fusio nos liberamur a peccatis: non quod sanguis Christi per se hanc liberationem efficiat; sed quod nos credentes Christo qui sanguinem fudit, ad promissiones divinas confirmandas, eo ipso gratia Dei liberamur a peccatis.

Non deest  
ulla conditi  
o pretij san  
guinis Chri  
sti.  
Demoni  
pretium no  
debeatur.

Respondeo. Sanguini Christi nullam conditionem veri pretij deesse, ne eam quidem, quam solam Socinus deesse arbitratur. Deus enim est is, cui sanguinem suum Christus in pretium peccatorum nostrorum dedit, ad eoque id pretium acceptum est. Ad Demone[m] enim hoc pretium non pertinebat; cum nos non detineret captivos ut Dominus, sed ut minister Iustitie & tortor. neque enim pretium pro captivo debetur Ministro carceris, sed vero Domino. Deus autem erat is Dominus, qui nostris peccatis offensus, Demoni nos potestati subijcerat in eternum cruciandos. Deo igitur pretium nostra redemptionis debebatur. Nec obest, quod Deus redemptionem nostram procuraverit. id enim non per seipsum fecit, sed per Christum; ex cuius proprio veluti Thesauro pretium datum, & a Deo acceptum est. De us igitur solum dedit Christum redemptorem, tota vero redemptio, & redemptionis pretium, immediate a Christo, & ex Christi bonis perfectum est. Sanguinem enim proprium Christus in pretium redemptionis dedit.

Porro

Porro pretium hoc datum est Deo in sacrificio: idcirco enim quod sanguis Christi in Dei honorem fusus & impensus est, vim habet auferendi peccata. Sic enim Paulus testatur *Hebr. 9. v. 14.* Quanto magis inquit sanguis Christi qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo emundabit conscientiam nostram. Quapropter sicut dubitari non debet Christum seipsum obtulisse Deo in Sacrificium; ita neque ambigi potest sanguinem suum dedisse Deo in pretium redemptionis. Sacrificio enim Christi redemptio nostra perfecta est, idemque sanguis, & sacrificium est & pretium. diversa consideratione; Sacrificium quidem ut in honorem Dei impensus, pretium vero ut pro redemptione oblatum. Ex his porro manifestum est immerito a Socino negari, Sanguinem Christi esse vere pretium: pari enim ratione negandum esset esse verum sacrificium, cum ea pretij solutio, per modum sacrificij sit facta. Deinde sequeretur sanguinem Christi non habere majorem vim ad expianda peccata, quam sanguis brutorum animantium in veteri testamento habuerit. Nam secundum Socinum sanguis Christi non aliam vim habuit, quam excitandi Eadem divinarum promissionum: quod idem sanguis brutorum efficiebat. Praterea si sanguini Christi redemptio nostra tribuitur; eo quod divinas promissiones confirmet, & faciat nos certos de eadem veritate: proculdubio multo magis miraculis Christi redemptio nostra tribuenda esset. Sunt enim tanto majora veritatis divinae testimonia; quanto majus est testimonium Dei humano testimonio. Si enim hominum testimonium accipimus; testimonium Dei majus est, quod dedit Filio suo tot miraculis per illum editis. Magis ergo nos miracula confirmarent de veritate promissionum divinarum; quas Christus annuntiavit, quam sanguis a Christo fusus, praesertim si Christi sanguis non fuit (uti Socinus vult) nisi sanguis puri hominis. Ad do scripturam nullibi dixisse Christum sanguinem fuisse ad confirmandas divinas promissiones; sed ad nos redimendos & liberandos a peccatis. Dicitur quidem sanguis Christi, sanguis novi foederis, non quod divinas promissiones nude confirmet; sed quod efficaciter hominibus conferat, quidquid a Deo per Christum in novo foedere promissum est. Hanc enim efficacitatem sanguinis Christi scripturae testantur. *Matth. 26. v. 28.* Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effunderetur in remissionem peccatorum: non aut effundi propter divina promissa confirmanda; sed pro multis, idque in remissionem peccatorum. Et Paulus ad *Hebr. eos 9. v. 13* Si sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo vi-

Pretium  
hoc datum  
est in Sacri-  
ficio.

Sanguis  
Christi ve-  
rum preti-  
um.

- 1.
- 2.
- 3.

4.

- Deo viventi? En quam longe major vis tribuitur sanguini Christi ad sanctificandas & emundandas conscientias à peccatis, quam sanguini hircorum & cineri vitulae asperso, ad emundandas immunditias legales, quae carnis immunditia dicuntur. Ergo si sanguis & cinis legalis ex se habeat vim ad emundationem carnis: multo magis ea vis inest sanguini Christi, ad emundationem conscientiae: Atque haec eadem efficientia & potestas sanguinis Christi, ad nos liberandos, in nomine pretij insinuat. pretium enim non alio modo ad liberationem intervenit, quam efficiendo liberationem. Idem intelligendum est, cum sanguini Christi tribuitur vis lavandi, emundandi, remittendi, peccata. Et sane si Christus etiam dum vixit in terris potestatem habuit solo verbo remittendi hominibus peccata, eamque potestatem aliis communicandi: cur non credamus sanguinem quod Christi vim ad peccata tollenda habuisse? nisi forte minus sui sanguinem pro peccatis fundere, quam verba; & quod verbis efficere potuit; sanguine haudquaquam prestare potuerit. Sputo sanavit caecum, tactu & verbo varios infirmos; ceterum sanguine pro peccatis fuso peccata tollere non potuit?
7. Deinde si sanguis Christi nullam vim habuit ad nos redimendos, frustra Deus Christum tam dire cruciari, & crudeliter contrucidari pro nobis voluisset. Siquidem sanguis illius nihil plus nobis profuisset, quam si nulloquam fusus fuisset. Nam quod ad confirmandas Dei promissiones attinet, ea sine sanguine Christi tot divinis testimoniis multo melius confirmata fuerunt, ut dictum est: & multo majorem fidem & securitatem in nobis excitare potuerunt quam sanguis Christi, si nihil aliud statuatur esse nisi signum certum promissionum divinarum: Frustra igitur tam iraculentum medium Deus elegisset, sine ulla necessitate, aut majori utilitate. Sine enim sanguine Christi homines esse certi possunt de promissionibus divinis & multo magis, quam ex sanguine, ut dictum est. Etsi enim sanguis Christi existeret testimonium divinarum promissionum: non erat tamen ad id necessarium, cum praeter illud alia majora testimonia non deessent. Nihil autem durum & crudele est, testimonij non necessarij causa hominem innocentem morte omnium atrocissima perdere.
8. Denique sequeretur eodem modo Christum sanguine pro nobis fuso expiasse peccata nostra, quomodo in lege veteri Sacerdotes Sacrificiis & sanguine pecudum fuso peccata expiabant. Utrobique enim (secundum Socinum) sanguis intercedebat tantum. & nihil propria virtute operabatur, sed tantum excitabat in hominibus fidem divinarum promissionum, quae posita, Deus

sita. Deus ex sua misericordia liberaliter condonabat peccata. Ita enim Socinus ipse factum fuisse affirmat. parte 2. C. 11. & multo expressius C. 13. fol. 141. Verum enimvero quid hoc absurdius? quid magis blasphemum dici potest? Hoc enim esset Christi sanguinem aquare sanguini brutorum animantium, & affirmandum esset omnino, quod Paulus negat, Sacrificia legis veteris parè vim habuisse ad remittenda peccata atque sanguine Christi. Quorsum vero Christus mortuus est, si per legem justitia? Et si antiqua illa Sacrificia justitiam conferebant: quid opus erat Christum venire in mundum, ut novum sacrificium sui sanguinis offerret? Sic enim D. Paulus argumentatur. Ex quibus omnibus patet, totam Christi redemptionem everti, si sanguini ejus vis & efficacia ad peccata tollenda nosque à morte liberandos denegetur.

Christum poenas peccatorum nostrorum in corpore suo perpeffum esse demonstratur.

Cap. 29.

**N**on minus illustra sunt illa Scripturae loca quibus dicitur Christum peccata nostra, hoc est poenas peccatorum nostrorum portasse, & pro peccatis nostris perpeffum, & mortuum esse, quod quid aliud est, quam pro peccatis nostris satisfacisse? Poenas pro peccatis nostris sustinuisse, docet Isaias & Petrus. Isaias enim C. 53. v. 4. sic habet. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, & livore ejus sanati sumus, Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrorum. Propter scelus populi mei percussit eum. Tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. Et 1. Petri 2. v. 24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiae vivamus: cujus livore sanati estis. 1. Pet. 3. v. 18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo. 1. Cor. 15. v. 3. Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas. Rom. 4. v. 25. Traditus est propter delicta nostra, resurrexit propter justificationem nostram. Huc spectat insignis locus apud Paulum. 2. Cor. 5. v. 21. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Quomodo enim Christus peccatum fecit: nisi vel quia ut peccatorem punivit pro nobis, vel quia fecit eum hostiam pro peccato.

Scripturae testimonia.

Negat

Falsa Socini  
expositio.

1.  
Christus pa-  
tiendo, pro  
peccatis, por-  
tauit peccata

2.  
Punitus pro  
peccatis.

3.  
Factus pec-  
catum du-  
pliciter.

1.

Negat Socinus Christum penas peccatorum nostrorum pertulisse. Sed quod apud Isaiam & Petrum legitur, Tulit, Portavit, ait exponendum, sustulit, abstulit; non verò in se accepit. ad eundemq; modum ait vulneratum esse propter peccata & pro peccatis mortuum; quia ad auferenda peccata passus est & mortuus, ita ut peccata fuerint causa finalis non materialis, nec impulsiva passionis & mortis Christi. Verum Socini summa est inexponendis Scripturis temeritas, cum eas contra omnium interpretum sententiam torqueat. Nam quod ad modum quo Christus peccata nostra portavit attinet, quis non videt Christum non quomodocumq; peccata nostra portasse, sed patiendò? hoc enim modo portavit, quia passus est. At portare peccata patiendò pro illis, tum in Scripturis, tum in comuni modo loquendi, nil aliud est, quam penas peccatorum perferre. Sic passim legimus, Iulium non portare iniquitatem Patris: id est non luere penas peccatorum Patris. Affert quidem Socinus duo loca: Exodi 34. v. 7. & Numer. 14. v. 18. Vbi portare iniquitates, significat auferre ex verbo Hebraico Nasa. At nullum adferre potest, in quo portare peccata patiendò pro illis significat auferre. Verum quidem est Christum abstulisse iniquitates nostras: at quomodo abstulit? nisi quia illas in se recepit & portavit, patiendò enim abstulit. Portare verò iniquitates patiendò, est illas in se recipere. Deinde Christus non quomodocumq; portavit peccata nostra, sed tanquam punitus à Deo propter illa, hoc enim indicant illi modi loquendi, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina seu castigatio pacis nostra super eum. Propter scelus populi mei percussit eum. Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis tradidit eum. Hi sane modi loquendi punitionem peccatorum à Deo & vindictam significat. Puniri autem pro peccatis eo fine ut auferantur, est satisfacere pro illis. Hoc etiam est, quod ait Paulus, Christum factum esse peccatum pro nobis: hoc est quasi peccatorem punitum. Quam interpretationem ipse quoq; Socinus admittit, eamq; suadet Antithesis illa peccati & iustitiae fecit enim eum Deus peccatum; ut nos essemus iustitia in illo. Sicut ergo iustitia accipitur pro iusto, ita & peccatum pro peccatore. Rectèq; ea expositio convenit cum eo quod ait Paulus, Eum qui non noverat peccatum. Sensus enim est, & si non noverat peccatum, tamen ut peccator punitus est. At si peccatum interpretemur hostiam pro peccato, non ita bene convenit. Videtur enim innuere Paulus, cum qui non noverat peccatum, etsi non debuerit fieri peccatum factum esse peccatum. Is vero qui est hostia pro peccato,

erato, debet esse peccatum, etsi non noverit peccatum, siquidem hostia pro peccato, debet carere omni peccato. Verum si magis libeat exponere cum aliis, peccatum, id est, hostiam pro peccato, magis contra Socinum concluditur. Hostia enim pro peccato offertur Deo in compensationem peccati, sive ea compensatio sit sufficiens ad tollendum peccatum, sive non; eaq; sive ea compensatio sit sufficiens ad tollendum peccatum, sive non; eaq; mens & intentio est hostiam offerentis. Si igitur Christum fecit Deus hostiam pro peccato, voluit Christi Sacrificio compensationem peccatorum sibi fieri: quam proculdubio cumulatè & sufficienter fecit Christus suo sacrificio: cum nulla alia sacrificia legis eam prestare potuerint.

Jam vero cum dicit Isaias, vulneratum & attritum esse Christum propter peccata, idq; à Deo, qui voluit illum conterere in infirmitate, indicat Christum penas peccatorum nostrorum in se suscepisse & punitum esse à Deo pro peccatis nostris. Neque enim dicimus quempiam vulneratum propter peccata, nisi qui in penam peccatorum vulneratur. Cum vero addit: Disciplina seu castigatio pacis nostra super eum, Nomen ipsum discipline & castigationis punitionem sonat; & quamvis Socinus dicat posse etiam aliquem pro simplici afflictione, non per modum punitionis accipi: non tamen ostendit hoc loco pro simplici afflictione accipi oportere, cum vox ex se punitionem significat; & idcirco disciplina pacis nostra dicitur; quod ejus castigatio nobis attulerit pacem, ipse castigatus sit, & nos à penis liberati simus. Ad eundemq; modum intelligitur, quod ejus livore sanati sumus: quia nimirum livore qui nobis debebatur ipse sustinuit, nosq; ab eo liberos reddidit. nemo autem dicitur livore alicujus sanari, nisi quatenus ille ejus vice livorem illum sustinuit. Illa porro verba; Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum: pulchrè ad id quadrant, quod dicitur, portasse iniquitates; ideo enim portavit, quia posuit Deus in eo iniquitates nostras, hoc est penas iniquitatum. Frustra vero torquet se Socinus, cum ait legi etiam posse ex Hebræo, occurrere Deus per eum iniquitatibus nostris, aut occurrere fecit ei iniquitates nostras, vel rogare fecit eum pro iniquitate omnium nostrum, quod omnes has interpretationes vox Hebræa patiatur. Clarissima enim mens est Propheta in omnibus his sententiis, tam antecedentibus quàm consequentibus variis modis eloquendi explicare volentis passionem & afflictionem Christi propter peccata suscepta. quare & hac sententia id ipsum repetit: Posuit in eo iniquitates omnium nostrum: ita ut non mirum sit omnes verè interpretes ex Hebræo ita legisse.

Denique cum dicitur Christus pro peccatis nostris mortuus esse, clarissimè docemur Christum, penas peccatorum nostrorum sua morte tulisse: Pro peccatis mortuus & pecca-

4.  
Vulneratus  
pro pecca-  
tus.

5.  
Castigatus

6.

Pro pecca-  
tis mortuus  
& pecca-

Et peccata nostra fuisse causam quasi efficientem mortis Christi. Est enim possumus dicere aliquem pro alio mori variis ex causis, absq; eo quod peccatorum ejus penas sustineat: tamen non possumus dicere quempiam pro peccatis alicujus mori; nisi quum in pœnam peccatorum illius moritur. Neque communis modus loquendi alium sensum patitur. Nam quod ait Socinus eo modo loquendi solum significari, peccata esse causam ut ille moriatur, seu peccatorum causa illum mori, quod Christo rectè convenit; siquidem peccatorum causa est mortuus: nempe ut peccata auferret; ita ut peccata fuerint causa finalis, non quasi materialis, aut efficiens mortis Christi. Id inquam à Socino perperam dicitur, cum tali modo loquendi, ex communi usu loquentium semper indicetur peccata esse quasi materiam mortis. sicut cum dicimus: latronem pro peccatis suis mori: intelligimus eum in pœnam peccatorum mori. Cum vero quis innocens loco nocentis moritur, dicimus eum pro peccatis alterius mori; quatenus mortem peccatis alterius debitam ipse sustinet: sive id jure fiat, sive injuria. Ex quo patet ineptè Socinum varia loca Scriptura colligere: in quibus particula pro, vel propter causam finalem significant; alia etiam in quibus mori pro aliquo non significat in pœnam peccatorum ejus mori. Nos enim ex particulis pro, aut propter, in abstracto sumptis; sed ut in tali materia & communi modo loquendi usurpari solent, concludimus Christum in pœnam peccatorum nostrorum mortuum: eo quod pro peccatis nostris dicitur mortuus: Nullus enim pro peccatis dicitur mori; nisi qui pœnam peccatorum sustinet. Est enim possumus quis ob alias quoq; causas pro alio mori: tamen cum eo sensu pro alio moritur; quia pro peccatis ejus moritur; is non nisi in pœnam peccatorum alterius moritur.

Socinus vobis confatur.

Difficultas.

1. Ex D. Mattheo. Antequam huic argumento finem imponamus, respondendum est ad duo Socini objecta. Alterum est D. Mattheum cum verba Isaia adducit ea ita exponere: ut portare accipiat pro auferre. Ita enim C. 8. v. 16. ait. Omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit, & morbos portavit, id est, abstulit: Non enim in se accepit Christus morbos nostros. Alterum est, cum D. Petrus ait: Pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum, ex Græco, reddi posse, Abstulit. Ad primum respondeo, omissis multis quæ à Theologis nostris asseruntur. D. Mattheum verba Isaia non in præcipuo sensu quo ab illo dicta sunt interpretari: clarum enim est locutum Isaiam, non de morbis corporis, sed de peccatis: ita enim expressis verbis habetur apud Isaiam. quo etiam modo D. Petrus Isaiam interpretatus est. Accomodat

comodat igitur D. Mattheus Isaiæ verba ad morbos corporis; vel quia is quoq; est alter literalis sensus illius loci, quem licet non à deo Isaias expressit, intendit tamen, vel quia ex sensu literali secundum intentionem, S. Sancti elicitur. quia enim morbi corporis ex peccato originem ducunt: S. Sancti elicitur. quia enim morbi corporis ex peccato originem ducunt: idcirco Christus qui peccata nostra in se accepit, ut ea auferret; non illa solum abstulit, sed & morbos corporis. Quare de morbis corporis licet apud Isaiam expressè non legatur, elicitur tamen ex verbis ejus à D. Mattheo modo dicto. Utitur autem D. Mattheus verbo portavit pro Abstulit, vel quod idem verbum, ad diversa applicatum diversam patitur interpretationem; vel quod ab Isaiæ, in utraq; significatione usurpatum est. ut Christus dicatur dolores nostros & in se portasse; & à nobis abstulisse. Priorem significationem in verbis Isaiæ indicavit D. Petrus in sua Epistola. Posteriorem D. Mattheus. Ad alterum dicendum est: quod etiamsi vox Græca utrovis modo reddi possit; sive pertulit, sive Abstulit: tamen in sententia illa D. Petri propter contextum verborum necessario reddi debet Pertulit, non Abstulit. Rectè enim dicitur pertulisse peccata in corpore suo, at non rectè abstulisse in corpore suo, cum hic sit nimis durus loquendi modus. Quocirca omnes hætenus legerunt pertulit, non sustulit.

Quod si admittamus Socini versionem Abstulit, dicimus ex eadem colligi Christum peccata nostra in seipso pertulisse; & idcirco ea abstulisse; quia pertulit. Patet id ex illis verbis, In corpore suo super lignum, quibus indicatur abstulisse peccata nostra, patiendo pro illis in corpore suo super lignum crucis. Pati autem pro peccatis ad illa auferenda, est penas peccatorum sustinere. Deniq; locus Petri, cum loco Isaiæ collatus, non patitur has cavillationes.

### Christi Sacrificio peccata nostra expiata esse. Cap. 30.

Tertio loco producimus ea Scriptura loca, quæ de Sacrificio Christi expiante peccata nostra loquuntur. Est autem id potentissimum Sacrificium contra Socini errorem argumentum. Sacrificium enim quod pro peccatis Deo offertur (quod Sacrificium expiatorium dicitur) in compensationem peccatorum offertur. Cum igitur Christus semetipsum obtulerit in Sacrificium pro peccatis nostris; eo ipso se in compensationem peccatorum nostrorum, ac ex consequenti in satisfactionem obtulit. Certissimum enim est finem Sacrificij quod pro peccatis offertur, non alium esse; nisi ut



In satisfacti-  
onem offer-  
tur Deo.

nisi ut illa ratione Deo pro peccatis satisfiat, & honore qui Deo in Sacrifi-  
cio impenditur, compensetur injuria per peccatū illata. Quamvis enim non  
omne Sacrificium perfectam illam vim habeat Deo satisfaciendi: cum ea  
vis propria sit Sacrificij Christi; tamen, non alia intentione offertur pro pec-  
catis Sacrificium, nisi ut ( quantum à nobis fieri potest ) sit quaedam pec-  
catorum compensatio. Hoc ipsum enim & in ea quam pro peccatis susci-  
pimus satisfactione poenitentia facimus. Afflictione enim illa ultro sur-  
cepta testatum Deo esse volumus; nos quantum in nobis est divinam in no-  
bis injuriam vindicare & compensare velle. Et quamvis nostra afflictio-  
nes sine divina gratia efficaces esse non possint, ad compensandam illam  
Deo injuriam, propter summam operum nostrorum vilitatem & impropor-  
tionem: sunt enim quid minimum cum divina offensa ( quae est infinita  
ob Dei majestatem infinitam ) comparata: non aliter ac si quis ad exsolven-  
dum decem millium talentorum debitum, nummum unicum, in compen-  
sationem tanti debiti offerret, verum tamen nihil impedit opera nostra in  
compensationem Deo offerri: non tanquam peccatis paria; sed tanquam  
indicia prompti animi ad omnem si fieri posset, praestandam compensatio-  
nem parati. Talia proculdubio erant Sacrificia expiatoria veteris Le-  
gis, quae pro peccatis offerebantur quidem in compensationem; nihilomi-  
nus perfectam compensationem praestare non poterant; ut docet Paulus in  
Epistola ad Hebraeos. Idcirco enim illa vocat infirma & mutilia. C. 9. v. 18.  
quae non possunt juxta conscientiam perfectum facere. Cap. 9. v. 9. Impos-  
sibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. C. 10. v. 4.  
Erant enim Sacrificia illa justitiae carnis. C. 9. v. 10. & sanctificabant ad  
emundationem carnis. C. 9. v. 13. Spiritum vero non sanctificabant;  
quod impossibile sit sine Christo, & ejus gratia per ulla opera remitti pec-  
cata, & satis fieri Deo pro peccatis.

Ex nobis  
satisfacere  
Deo non  
possumus.

Sacrificia le-  
gis veteris  
insufficiētia  
ad peccata  
auferenda.

Christi Sa-  
crificiū pro  
peccatis.

Iam vero Christum seipsum in Sacrificium pro peccatis obtulisse do-  
cet D. Paulus Hebr. 10. v. 12. & 9. v. 14. esseque Sacrificium hoc longè per-  
fectissimum & efficacissimum; quod enim omnia Sacrificia veteris legis  
praestare non poterant, nempe ut auferrent peccata, & mundarent consci-  
entiam; id praestitit unicum Christi Sacrificium. Docet etiam si per ve-  
teris legis sacrificia peccata auferri potuissent, non fuisse necesse Christum  
esse novum Sacerdotem; & novum Sacrificium corporis sui Deo offerre.  
Quae cum ita sint, negari non potest Christum, cum pro peccatis nostris Sa-  
crificium corporis sui & sanguinis obtulit; non nisi in compensationem, &  
satisfactionem Deo obtulisse. Haec enim est Lex omnis Sacrificij pro pec-  
cato, ut

cato, ut offeratur Deo incompensationem peccati & offensa: quam quidem  
compensationem nulla alia Sacrificia praestare efficaciter poterant, prater  
unicum Christi Sacrificium: ex quo sequitur Christum suo Sacrificio verè  
pro peccatis nostris Deo satisfacisse.

Respondet Socinus. Quemadmodum sacrificia veteris legis non ha-  
bebant vim auferendi peccata, ijs tamen oblati Deus ex liberalitate mera  
condonabat peccata, eog, sensu dicebantur illa Sacrificia expiare peccata:  
ita, inquit, nec Sacrificium Christi habet vim ullam ad auferenda pecca-  
ta; sed intervenit solum sacrificium & intercedit Deo ita volente, ipse ve-  
ro Deus ex liberalitate sua condonat peccata. Ajo ego: quid hoc aliud est,  
quam totum Christi Sacrificium subvertere? Paulus enim Sacrificium  
Christi praefert Sacrificiis veteris legis, quod haec imperfecta fuerint, nec  
potuerint auferre peccata: Sacrificium vero Christi perfectissimum est;  
& auferre peccata potest. At si Sacrificium Christi nihil operatur circa re-  
missionem peccatorum; sed solum intervenit, Primum sequitur non minus  
Sacrificia veteris legis abstulisse peccata, quam Sacrificium Christi: nam  
etiam illa interponebantur tantum Deus vero ipse gratis condonabat pec-  
cata. Deinde Sacrificium Christi, nibilo plus posse in peccatis auferen-  
dis, quam Sacrificia veteris legis poterant. Utrobiq, enim Deus interveni-  
ente Sacrificio ex liberalitate peccata remittit. Hoc autem manifestè re-  
pugnat S. Paulo qui ait: Impossibile esse sanguinem taurorum & hircorum  
auferre peccata. Quod secundum Socinum, non solum non esset impossibile;  
sed planè necessarium, ut talem & tantam vim habuerint Sacrificia illa  
ad auferenda peccata, qualem & quantum Sacrificium Christi: nempe ut  
illorum interpositu Deus liberaliter peccata remitteret. Ne igitur sen-  
tentiam tam absurdam & scripturis contrariam admitramus, dicen-  
dum est Sacrificium Christi non interponi solum veluti frustra & ociosè;  
sed etiam operari remissionem peccatorum efficaciter: quod nulla alia Sa-  
crificia praestare unquam poterat: ut potè imperfecta & inutilia. Præterea hoc  
esset equare Sacrificia illa Sacrificio Christi; si utriusq, idem modus aufer-  
endi peccata tribuatur, per nudam interpositionem: esset etiam tollere  
necessitatem Sacrificij Christi. Si enim ut Paulus argumentatur, Sacrifi-  
cia veteris legis auferunt peccata: quid necesse est exurgere novum Sa-  
cerdotem, cum novo Sacrificio?

Secundo Respondet Socinus, duplicem esse differentiam inter Sacri-  
ficiū Christi; & Sacrificia veteris legis. Prima est, quod Sacrificia  
legalia a peccatis populum Judaicum cessare non faciebant. Sacrificium  
vero

Prima So-  
cini Respon-  
sio.

Refellit: Praestat Sa-  
crificium  
Christi,  
quod alia Sa-  
crificia non  
praestabant.

Non est ne-  
quandum  
Sacrificium  
Christi alia  
Sacrificiis.

Secunda So-  
cini respon-  
sio.

verò Christi efficit, ut à peccatis desistamus. Altera, quod Sacrificia illa à præteritis tantum culpis absolvebant. Christi vero Sacrificium etiam à futuris. Quicumq; enim (ait Socinus) Christi fidem habuerint, ab omnibus peccatis etiam futuris; & ab omni ipsorum reatu & pœna liberantur atque absoluuntur: & licet futura sint non presentia, divino tamen decreto expiata jam sunt; & ipsis fidelibus nunquam amplius imputabuntur.

Verum Socinus cum docere debuerat, Sacrificia legis nullo modo auferre peccata, ostendit contrarium, nempe abstulisse peccata; sed multo majori ratione Sacrificium Christi. Paulus vero omnino ait: impossibile esse sanguine taurorum auferri peccata; in eoq; statuit discrimen inter illa, & Sacrificium Christi, quod illa non poterunt ullo modo auferre peccata, hoc potest. Socinus autem eundem modum illis Sacrificiis tribuit, auferendi peccata: quem tribuit Sacrificio Christi: nempe per interpositionem solam & interventionem. Vtrobiqu; enim intervenit tantum & non operatur Sacrificium. Vtrobiqu; peccatorum remissio ex mera Dei liberalitate obuenit.

Deinde cum ait, illa Sacrificia non præstitisse, ut homines à peccatis desisterent: Si id ita intelligat, non effecisse; ut nulla in futurum peccata admitterentur, verum est; sed ne Christi quidem Sacrificium hoc præstitit: cum innumeris sint, qui per Christi sacrificium venia peccatorum obtenta in eadem & sæpè graviora peccata relabuntur. Si verò intelligat illa Sacrificia, non permovisse homines ut desisterent à peccatis; id falsum omnino est. Quomodo enim non deterrebantur à peccatis, quæ expiare tantis multis Sacrificiis oportere videbant? Nam si Socinus Christi sanguinem ait idcirco facere ut desistamus à peccatis; quod memoriam divina in nos Charitatis excitet. quomodo idem negari Sacrificiis legalibus poterit, quæ cum in recognitionem divina potestatis & bonitatis fierent, divina bonitatis, & beneficiorum memoriam renovabant? Adde, si sacrificiis illis positus Deus ex sua liberalitate remittebat peccata, ut vult Socinus, nunquam autem peccata Deus remittit, nisi his qui propositum firmum amplius non peccandi conceperunt: sequitur planè, Sacrificia illa eodem modo talis propositi non peccandi causam fuisse: quomodo causa fuerunt remissionis peccatorum Deo utrumque in hominum animis operante.

Peccata futura non remittuntur.

Verum altera quam Socinus statuit differentia multo absurdior est. Quid enim absurdius, quam asserere, Deum cum peccata homini remittit, etiam futura; & quæ nondum re ipsa patrata sunt remittere, & homini

bus imputare nolle, tam ad culpam quam ad pœnam? An non S. Paulus ad Hebræos 6. v. 4. ait, eos qui semel justificati fuerunt, & participes facti Spiritus Sancti; & prolapsi sunt, impossibile esse rursus renovari ad pœnitentiam, crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes, ibiq; tales vocat terram spinas & tribulos proferentem, terram reprobam, & maledicto proximam: cujus consumatio in combustionem. Quod etsi de ea renovatione & reparatione perfecta, quæ fit per Baptismum, Doctores Catholici intelligant; ea enim per pœnitentiam non contingit, in qua dura & laboris plena renovatio cernitur: tamen ex eo satis apparet, post justificationem homines gravissimè impingere posse, & cum gravi Dei ira & animarum suarum periculo. D. etiam Ioannes ait in priori sua Epistola C. 2. Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum, Quid vero opus esset Advocato, si peccata non imputarentur? Deinde aut Socinus vult post justificationem homines peccare non posse, aut peccare quidem posse; sed eorum peccata, nec ad culpam, nec ad pœnam imputari. Si primum: id Scripturæ, rationi, experientie manifestè repugnat; secundum vero asseri non potest. nam quomodo Deus peccata illa non imputat ad culpam? an ea ignorat? an iudicat omni culpa carere? an vero non vult esse culpas, etsi in se culpe sint? nihil horum sine gravi absurdo, Deo attribui potest. Iam vero ad pœnam, quomodo DEVS non imputet peccata, cum sæpè gravissimas pœnas de illis exspectat, qui post acceptam Spiritus Sancti gratiam, rursus ad vomitum relabuntur, de quibus D. Petrus ait 2. Epistola. C. 2. v. 20. Si enim refugientes coinationes mundi in cognitione Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi, his rursus implicati superantur, facta sunt eis posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Contingit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad suam vomitum; & sus lota in volutabro luti. Accedit, quod divina Sapientia, quæ omnia uti sunt, æstimat, repugnat non imputare peccatum ad culpam. Repugnat etiam Divine iustitiæ, cui nullum malum impunitum est, nullum bonum irremuneratum. Repugnat bonitati, malum vel approbare vel non improbare. Denique repugnat divine potentie, peccatum futurum quod nondum est, remittere. esset enim simul & non esset peccatum, quod manifestam contradictionem implicat. Esset enim peccatum, quia remitti non posset, nisi esset. Non enim id quod non est, remitti potest: id enim quod non est, ne peccatum quidem est. Nam & peccatum ipsum suo modo est à suis causis. Non esset autem, quia remissum jam esset; omne enim peccatum

2.

3.

Implicat  
contradictionem remitti peccatum antequam sint.

1.  
Essent & non essent peccata.

Peccata et  
sunt licita.

S

catum eo ipso quod remittitur non est; imo implicaret contradic-  
tionem si remitteretur, & non desineret esse, cum peccatum sit offensum factum  
& non remissa, & omne debitum remissione tollitur. Quanquam & alia  
contradictionis implicatio ex hac futurorum peccatorum remissione con-  
sequitur. Illa enim peccata, & peccata verè essent & licite admitteren-  
tur. Essent peccata quia divina legi repugnant: licite autem admitteren-  
tur; quia Deum non offenderent; neque Deus illa imputaret ad cul-  
pam aut ad poenam; quomodo autem licite admittetur id quod malum  
est, cum eo ipso quod malum est, illicitum quoque esse, & rationi repugnans  
necessè sit. Iam vero quantum hæc Socini assertio non solum in se absur-  
da sit; sed & pietati Christiana contraria, vel ex eo facile intelligitur,  
quod omnem ad peccandum licentiam faciat & habenas hominibus om-  
nibus quidvis patrandi laxet: quid enim à peccando retrahat hominem,  
si reputet secum, se peccando nil ingratum Deo facere, nihil salutis pro-  
pria incommodare; quod quidquid mali faciat Deus non sit imputatu-  
rus ad culpam. Ergo vel hoc ipso infinita licentia hominibus dabitur  
peccandi: Neque enim ulla res magis homines à peccato reuocat, quam  
timor offense divina, & condemnationis aeternæ, hisce repagulis ablati-  
toto impetu homines pro natura fragilis conditione in omnia peccata præ-  
cipites ruent.

Verum quidnam tandem Socinum impulit, ut rem tam absurdam  
de peccatorum futurorum remissione assereret? Scilicet apud Paulum  
legerat, Christum unica sui oblatione aeternam redemptionem invenisse. Hebr.  
9. v. 12. & consummasse in sempiternum Sanctificatos, Hebr. 10. v. 14. Quæ-  
si vero aeterna à Christo facta redemptio in hoc sit posita: quod peccata futu-  
tura antequam fiant remittantur, & non potius propter alias duas causas,  
ab eodem Apostolo in eadem Epistola indicatas. Una est, quod per Chri-  
sti oblationem aeterna vita sit nobis comparata. altera, quod omnia totius  
mundi peccata ita morte Christi expiata sunt, ut alio Sacrificio ad ea ex-  
pianda non sit opus; sed virtute Christi Sacrificij semel oblatis remittan-  
tur in aeternam, hoc est omnibus consequentibus temporibus usque ad fi-  
nem mundi: si modo per media à Deo instituta ejus vim Sacrificij homi-  
nes sibi ipsis applicare studuerint; Non ergo antequam fiant, remittuntur,  
sed si fiant, virtute hujus Sacrificij semel facti remitti possunt; in quo op-  
ponit Apostolus Sacrificium Christi Sacrificiis legis veteris. quod hæc, cum  
insufficientia essent, etiam ad præterita peccata auferenda, repeti & ite-  
rari debuerunt novis peccatis succedentibus. Christi vero Sacrificium,  
cum sit

Aeterna à  
Christo re-  
demptio  
quomodo  
facta.

Vita aeterna

Sacrificij  
sufficiencia.

cum sit ex se sufficiens ad omnia peccata tollenda, hac repetitione non in-  
diget; sed idem atque unicum manens tam ad præterita, quam ad futu-  
ra peccata exhaurienda applicari sufficientissime valeat.

Dicet quispiam, rectè igitur à Socino discrimen inter Christi Sa-  
crificium & veteris legis Sacrificia assignatum est. Respondeo. Reipsa  
discrimen non exiguum sed maximum esse; verum juxta nostram, non se-  
cundum Socini sententiam. Discrimen enim quod Paulus assignat, est  
imperfectio & insufficientia Sacrificij legis veteris, perfectio & suffici-  
entia Sacrificij Christi. Nos igitur qui vim summam & efficacitatem  
Sacrificio Christi tribuimus, hoc discrimen agnoscimus & admittimus.  
At Socinus qui nullam vim Christi Sacrificio tribuit, quæ non quadret  
Sacrificijs veteris legis (totam enim peccatorum abolitionem divina gra-  
tie & voluntati, non sanguinis Christi efficacitati adscribit) non potest  
hoc discrimen assignare. æque enim Sacrificium Christi esset imperfectum  
ex se & insufficiente ad remittenda quævis peccata atq; Christi Sacrificium.  
& quidquid in peccatis nostris remittendis fit, id non virtuti Sacrificij,  
sed divina liberalitati & voluntati totum adscriberetur. Quocirca non  
ex perfectione Sacrificij Christi; sed ex voluntate & liberalitate Dei  
amplior illa omnium peccatorum remissio fieret: Sicq; nullum esset quo  
ad perfectionem & sufficientiam inter Sacrificium Christi, & alia Sacri-  
ficia discrimen. Nam quod nos passio & mors Christi magis moveat ad  
convertendum nos in Deum; quam moverent Sacrificia legalia; id non  
efficit Sacrificium Christi, quod ad rationem spectat Sacrificij, esse perfe-  
ctius. cum non in illa motione animorum Sacrificij ratio consistat (movere  
enim nos illo modo multa alia quæ non sunt Sacrificia possunt) sed in obla-  
tione rei, quæ ad compensandam Deo injuriam per peccatum illatam, mul-  
tum ex se valeat, qualis est sanguis Christi, qui eapropter à Sancto Petro  
preciosus appellatur; quod ad nos redimendos à peccatis, plurimum apud  
Deum valeat.

At ut omnes intelligant, quam in Christum injurios sit Socinus, vel  
hoc unam argumento sit: quod non solum omnem vim ad satisfaciendum  
pro peccatis Christo auferat; sed etiam ad impetrandam nobis remissio-  
nem peccatorum negat ullam vim habuisse, quod eam totam ex liberali-  
tate Dei & gratia, non ex aliqua impetratione Christi proficisci arbi-  
tretur. id enim expressis verbis asserit & docet parte 2. C. 16. quasi vero  
aut impetratio liberalitati deroget; aut minus Christi oratio possit apud  
Deum, quam nostra. Nobis enim orantibus pro fratre peccatum haben-

Discrimen  
verum inter  
Sacrificium  
Christi &  
veteris legis  
Sacrificia.

Christo vim  
impetrandi  
Socinus ne-  
gat.

te non ad mortem, hoc est, in quo non ad mortem usque perseveraverit, promittitur impetratio. 1. Ioann. 5. v. 16. quod iste impius Christo denegat. Adde quod nec omnia omnino peccata per Christi sanguinem expiata esse affirmat, nam ad eorum hominum peccata qui Christum præcesserunt negat pertinuisse redemptionem Christi, quod capite sequenti refellendum est.

Christum pro omnium hominum peccatis qui ab orbe condito extiterunt satisfacisse.

Cap. 31.

**N**Egat Socinus impudentissime virtutem Passionis & Mortis Christi ad omnes homines qui Christum præcesserunt ab orbe condito pertinuisse. Id enim non solum parte 2. Cap. 26. indicat; sed & in suis Prælectionibus Theologicis. Cap. 17. docet, nihil ea de re in Scripturis extare, humanumque omnino commentum esse. Satis enim inquit constat Deum tunc non ob Christi futuram satisfactionem; sed ob suam liberalitatem peccata hominibus condonasse. Nos autem primum adducemus Scripturarum ea de re testimonia: tum ex iis contra Socinum concludemus, non ea ratione qua Socinus vult Christi mortem illis profuisse, quod divinas illis promissiones confirmaverit; sed quod vere & efficaciter peccata illorum expiaverit. Ac in primis S. Paulus ad Hebr. 9. v. 26. ex instituto probat Christum unica oblatione omnium hominum peccata expiasse: Si enim unica oblatio non suffecisset, oportebat ut Christus sæpius se offerret, & frequenter pateretur ab origine mundi. Alioquin inquit oportebat eum pati frequenter ab origine mundi. Ergo secundum Paulum dicendum est, aut Christi oblationem omnium hominum ab origine mundi peccata expiasse, aut oportuisse ut Christus sæpius se ab origine mundi offerret, & sæpius pateretur: nempe ut illorum etiam qui illum antecesserunt peccata expiaret. Vult sane D. Paulus expiationem peccatorum omnium hominum ab orbe condito ita ad Christum pertinere: ut si unica eius oblatio ad id non suffecisset, oportuisset illum sæpius pati & mori ab orbe condito.

Christus totius mundi peccata expiavit.

1. Ex Pauli argumentum.

2. Ex comparatione Christicum Adamo.

Deinde Paulus ad Rom. 5. C. v. 12. ex illa Christi cum Adamo comparatione, id omnino probare contendit: ut quemadmodum ex unius Adami peccato omnes homines condemnantur; ita ex unius Christi gratia omnes

omnes homines justificentur. Sicut enim (inquit) per unius delictum in omnes homines in condemnationem; ita per unius iustitiam in omnes homines in justificationem vitæ. Ad omnes igitur omnino homines pertinet gratia & redemptio Christi; quemadmodum ad omnes homines peccatum Adami propagatum fuit, & per peccatum mors. Quare & ij qui Christum antecesserunt gratiam & peccatorum veniam per Christum sunt consecuti. Alioqui potentius esset peccatum Adami quam gratia Christi, & plus id hominibus nocuisset, quam profuisset gratia Christi, contra sententiam Pauli. Idem Paulus 1. Tim. 2. 4. ait Deum Salvatorem velle omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Dat vero eius rei rationem. Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus; qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus. Proculdubio nullum hominem ab orbe condito Paulus excipit: Omnes enim ab orbe condito homines Deus vult salvos fieri, unus etiam omnium est Deus, unus etiam Mediator & Redemptor omnium hominum. Quorumnam omnium hominum? nempe eorum quos Deus vult salvos fieri. Nullus autem hominum est, vel fuit, vel erit, quem Deus non velit salvum fieri. horum igitur omnium Christus Mediator est ac Redemptor. Et sane aut illi qui Christum præcesserunt Redemptore non indiguerunt; aut Christum Redemptorem habere debuerunt; nisi fortassis plures Redemptores statuere velimus, D. Paulo id negante: qui unum tantum omnium predicat Redemptorem; non alia ratione quam unum omnium DEUM conditorem.

Huc item spectat, quod Divus Ioannes Christum ait esse propitiationem pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum; sed & pro totius mundi. Nulla igitur peccata sunt in mundo, quorum Christus non sit propitiatio. Viginti quatuor Seniores. Apoc. 5. Omnium hominum nomine concinunt agno dicentes: Redemisti nos Deo in sanguine tuo; ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione. Proculdubio non excluduntur ab eo numero qui Christum præcesserunt. Nam & illi viginti quatuor Seniores, parentes totius populi Dei à Doctoribus intelliguntur. Hinc etiam est; quod ab orbe condito Christus ab hominibus pro Messia & Salvatore agnoscebatur, & expectabatur. Iacob moriens Gen. 49. v. 18. Salutare tuum expectabo Domine. Iob. C. 19. v. 25. Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum meum. David in Spiritu vocat Christum Dominum suum: Dixit Dominus Domino meo. Abraham exultavit ut videret Diem Christi: multi

3. Vnus omnium redemptor.

Infertur absurdum.

4. Propitiatio pro peccatis totius mundi.

5. Messias ab orbe condito pro Salvatore habitus.

multi etiam Reges ac Prophetæ desiderarunt videre & audire Christum, non nisi quia salutem ab eo consequuturi erant. *Esaias Cap. 45 v. 8.* Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiat terra & germinet Salvatorem. *Habacuc. C. 2. v. 4.* Si moram fecerit, expecta eum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso, iustus autem meus ex fide vivit; quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. *Iudei ergo ex Fide Christi quem expectabant vivebant, & justificabantur. Et in Iuda Canonica habetur:* Prophetavit autem de his, & ab Adam septimus Enoch dicens: Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum. *Et sanè quemadmodum omnium hominum Christus est iudex, habens potestatem vitæ, & mortis æternæ: ita omnium hominum est Redemptor. Accedit, quod Paulus disertè probat in Epistola ad Galatas, & Romanos generaliter de omni statu, tam de Iudæis, quam de gentilibus, neminem omnino ex operibus legis justificari posse, nisi per Fidem Iesu Christi. Gal. 2. v. 16.* Scimus autem quod non justificatur homo ex operibus legis nisi per Fidem Iesu Christi; & nos in Christo Iesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis, & Gal. 3. v. 22. Concluserunt Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Prius autem quam veniret Fides sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ revelanda erat. Et ad Rom. 3. Concludit nec Gentes, nec Iudæos, ex lege justificari potuisse; sed ex iustitia Dei, per Fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum, non enim est distinctio. Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei: justificati gratis per gratiam ipsius, & per redemptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. Certè Paulus non alia ratione persuadet Romanis & Galatis Fidem Christi esse necessariam ad salutem: nisi quod neque Iudæi, neque gentes ex suis operibus; sed ex sola fide salvari potuerint. quod si Iudæi & gentes sine fide Christi salvari poterant per Fidem Dei, infirma erat argumentatio Pauli. Dixissent enim illi ad quos Paulus scribebat se esse contentos illa fide, qua salvari sunt illi, qui Christum antecesserunt. Præterea non alia ratione proposuit Deus Christum propitiatorem tam Iudæis quam gentilibus, quam per Fidem. Quam ob causam Paulus adducit Habacuc Prophetæ testimonium: Iustus autem meus ex fide vivit. Gal. 3. v. 10. Hebr. 2. 10. v. 38. ea vero fides Christi quoque, venturi fidem complectebatur; & hac fide ait esse omnes ab orbe condito justificatos, quos recenset toto Cap. 11. Neque verò refert quod ibi Fidem in Christum non commemorat ex-

6.  
Sine fide  
Christi ju-  
stificari im-  
possibile  
Secundum  
Paulum.

7.  
Fides in  
Christum  
semper fuit  
necessaria.

rat expresse, sed tantum ait: Sine fide impossibile est placere Deo. Credere oportet accedentem ad Deum quia est; & quia inquirentibus se remunerator fit. In his enim duobus Fides etiam in Christum saltem tacite & implicite continetur. Promiserat enim Deus hominibus Messiam Salvatorem futurum; quare & gratiam suam inquirentibus se remuneratorem futurum est pollicitus. Porro etsi non facile dixerim Christi Fidem explicitam fuisse omnibus ab orbe condito necessariam, non enim omnibus expresse propositum erat hoc mysterium, quod Paulus absconditum in Deo affirmat: tamen secundum Scripturas affirmandum est implicitam Christi Fidem omnibus ad salutem necessariam fuisse. Quare ut minimum in genere saltem & in confuso Messiam quendam & Salvatorem à Deo permissum omnes credere tenebantur: qui tamen qualis & quantus futurus esset non omnibus eque constabat. Quanquam & id quibusdam non nisi confusissime, in articulo providentiæ & remunerationis proponebatur credendum. Denique ratio est manifesta. Si enim sine fide Christi ab orbe condito homines salvari potuissent, non fuisset omnino necessarius ad salutem Christus. Non magis enim nos egemus Salvatore quam illi in veteri lege eguerunt. Quod si illi sine Christo salvi esse potuerunt, nos etiam salvari possemus: nisi perfectiorem & efficaciorum esse legem veterem ad salvandos homines credamus, quam novam: ut quod illa ex se poterat, hoc nova sine auxilio Christi non possit. Id autem omnibus jure Scripturis repugnat, quæ necessitatem Salvatoris ostendunt. Vnum interim ex Epistola ad Hebræos sufficiat. Cap. 7. v. 11. Vbi Paulus in hunc modum argumentatur. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat: quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem. Quocirca nullus sine Christo & sine fide in ipsum salvari unquam poterat; necesse est affirmare Christum omnium à constitutione mundi Salvatorem fuisse.

Ex his autem infero duo: Vnum est omnes eas gratias & dona, quæ nos à Deo per Christum consequimur ad salutem, illos qui Christum antecesserunt eadem ratione quoque consecutos esse: quare & Fidem & remissionem peccatorum, & justificationem ex Christi gratia, non minus quam nos habuerunt: ita, ut omnes salutem Christo debeant referre acceptam. Alterum est modum illum Socini, quo ait defendi posse Christum fuisse omnium Redemptorem, quatenus suo sanguine confirmavit promissiones Dei, cum inquam modum non quadrare in illos qui Christum antece-

8 altem im-  
plicita.

8.  
Alioqui  
Christus nõ  
fuisset neces-  
sarius.

antecefferunt. Nam illi nunquam Christum viderunt, neque docentem audierunt, neque de sanguine & morte Christi quidquam intellexerunt, nec confirmari in sua fide sanguinis & mortis Christi consideratione poterunt. Quare alius modus Socini querendus est, & nobiscum dicendum Christum suo sanguine idcirco eos redemisse, quod verè sanguine pro peccatis illorum fuso satisfecerit; & omnem gratiam illis à Deo promeritum fuerit.

Socini Argumenta quibus probat Deum nulla vera satisfactione accepta nobis condonare peccata voluisse. Cap. 32.

**A**ffert Socinus rationem, qua adductus omnem Christi pro peccatis nostris satisfactionem sustulerit. Hanc vero ait esse liberalem, & gratuitam remissionem peccatorum, quam Scriptura prædicat, qua cum satisfactione stare non potest. Ait igitur primo ante Christi adventum nihil Deum à peccatoribus exegisse ad peccatorum remissionem, nisi veram ad Deum per penitentiam conversionem, & obedientiam divinorum mandatorum nulla facta alicujus satisfactionis mentione Exod. 34. v. 6. Num. 14. v. 18. Ezechielis 18. & 33. Psal. 103. Respondeo. Nil mirum esse quod ab hominibus ad peccatorum remissionem satisfactionem non requisiverit; sed solam penitentiam, & veram ad Deum conversionem: id enim ab hominibus requirebat; quod ab illis præstari poterat & debebat; porro satisfacere pro peccatis, non ad homines, sed ad Christum spectabat. Non erat igitur opus cum hominibus de præstanda satisfactione agere; sed satis erat ab illis penitentiam, & veram conversionem requirere.

Deus à Christo pro nobis satisfactionem exegit.

Loquor autem de satisfactione, qua peccata remittuntur, hanc enim homines præstare non possunt: nam pro penis temporalibus ab hominibus justis, quo minus Deo satisfiat, nil repugnat; eaque satisfactio statuitur tertia penitentia pars. Deinde respondeo. Deum non quamcumque penitentiam exegisse ab hominibus, ad remissionem peccatorum consequendam; sed illam tantum qua in fide promissi Redemptoris fundabatur: ita ut simul utrumque populo suo offerret Deus, & peccatorum penitentiam remissionem & Redemptorem futurum: in quo statuit benedicere omnes gentes, & saluare populum suum; quod quid aliud est, quam ab ipsis quidem hominibus satisfactionem nolle, sed eam à futuro Redem-

1. Deus penitentiam à veteribus exigit fundatam in Fide promissi Redemptoris.

Redemptore expectare? Quorsum enim Redemptorem promitteret se missurum, si illos per nudam ipsorum penitentiam in gratiam recipere paratus erat? Eam enim ob causam ut præcedenti capite demonstratum est, Fidem in Messiam venturum, sive explicitam, sive implicitam; semper Deus ad justificationem, & peccatorum remissionem requisivit. Denique cum satisfactionem futuram Deus à Filio suo ante acceptavit; ac propter eam hominibus peccata remittere paratus fuerit: nihil attinebat, Deum cum hominibus de satisfactione disputare; sed solum opus erat de cordis vera conversione agere.

Alterum argumentum Socinus affert. Pactum novi testamenti ab Hieremia Cap. 31. v. 34. & Paulo ad Hebr. 8. v. 12. expositum est hoc. Propitius erò iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non recordabor. Quomodo autem propitius fuisset Deus iniquitatibus si plenè pro ipsis satisfieri sibi voluisset? quomodo peccatorum recordatus non fuisset; si ne minimum quidem impunitum reliquisset? aut quid mirum si recordatus non fuisset, postquam pro omnibus sibi satisfactum vidisset? Quod si nullam satisfactionem pro peccatis voluisset: tunc maxime & propitius peccatis esset, & peccatorum plenè non recordaretur.

Respondeo. Verè mira Dei in nos clementia extitit, eo ipso quod Christum pro nobis satisfacere voluit. primum quod ea satisfactio nobis constitit; sed Christo. Sicut enim si quis ingentis aris alieni debitor, ab omni solutionis debito penitus liberaretur, ut ne minimam quidem ejus partem solvere teneatur; maximo beneficio afficeretur: ita maxima Dei gratia est, quod cum infinitum peccatorum debitum contraxerimus; nihil tamen penitus ex nostro Deo solvere obligemur. Quocirca ad illam à debito liberationem, quantum ad nos attinet, nihil plus nobis à Deo præstari potuit. Non potuimus enim magis liberari à debito; quam per omnem à debito soluendo liberationem.

Deinde & illa summa gratia est, quod ad eam liberationem Deus, rem omnium sibi charissimam & maximam impendit: nempe Filium suum unigenitum. Si enim simplici voluntate nobis peccata remississet, magnam quidem nobis exhibuisset gratiam; at nihil ea Deo gratia constitisset: quippe quod in ea exhibenda nihil impendisset, nec ulla propria re seipsum privavisset, nec damnum aliquod in bonis suis idcirco suscepisset. At cum proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis eum morti tradidit, in eo omnes charitatis modos & fines transcendit: & infinitam suam in nos charitatem declaravit. Etenim se infinito bono nostri

Deus nobis verè propitius fuit.

1.

Quia à nobis debitum non exegit.

2.

Ad nostram liberationem rem sibi charissimam impendit.

3.  
Debitorem  
se quodam  
modo con-  
stituit nobis

Christo ju-  
stitia, nobis  
gratia.

Satisfactio-  
nem exi-  
gere non pu-  
gnat cum li-  
berali con-  
donatione.

causa quodammodo spoliavit, ipsum in salutem nostram impendendo. Quocirca modus iste remissionis peccatorum multo magis Dei in nos charitatem & clementiam commendat; quam si nulla Christi satisfactione interveniente, totum peccatorum debitum nobis condonasset: cum sit immensum quoddam testimonium, divini in nos amoris. Quod si cogitaverimus Deum satisfactione à Christo accepta, debitorem se quodammodo constituisse, ut jam ex debito & justitia peccata nobis remittat: id vero non solum divinae liberalitati nil detrahit; sed eam magis amplificat & extollit. Etenim qui summo jure nobiscum agere cum posset; ita de suo jure decedere voluit, ut non simplici voluntate nobis omnia condonare voluerit, sed etiam spontè eam sibi necessitatem quodammodo imposuerit, accepta à Christo satisfactione: ut non possit non remittere nobis peccata: id verò infinita cujusdam liberalitatis divina est Argumentum, cum se ipsum nobis obligaverit, & debitorem fecerit. Seipsum enim negare non potest, neque veniam peccatorum propter Christum penitus denegare. Ut enim Theologi nostri loquuntur, in remissione peccatorum, Christo suae justitia, quae tamen justitia miro divinae sapientia modo in nostram gratiam redundat. Quapropter is est nobilissimus, & summus peccatorum veniam consequendi modus, non solum simplicem veniam consequi; sed etiam obligare posse Deum idque ex justitia, ad eam veniam concedendam. quem modum tam nobilem summa Dei in nos liberalitas adinuenit.

At inquires non esse magna liberalitatis satisfactionem exigere, cum liberaliter condonare possis. Respondeo verum id esse, si satisfactio exigatur, in propriam exigentis utilitatem; & nulla necessitate interveniente. At ea quam Deus accepit à Christo, satisfactio, tota in utilitatem nostram redundat: tum quia divinam in nos charitatem testatur, tum quia ea Christi satisfactione, infinitus quidam thesaurus omnium bonorum, & gratiarum spiritualium nobis comparatur: tum etiam quia ea satisfactio non est ex bonis nostris; sed ex bonis Christi; ita ut duplicem nobis in ea re liberalitatem suam ostenderit Deus. Primum, quod peccata remiserit: deinde, quod thesaurum quendam immensum nobis donaverit, quo peccatorum omnium debita exsoluere & omnia gratiarum bona consequi possimus. Sicuti si Rex Filio suo mandaret, ut debitori ingens auri pondus donaret, quo à Regi debitum ab illo plenè dissolveretur. Iam quod ad necessitatem hujus satisfactionis attinet: etsi Deus liberaliter nulla satisfactione accepta potuerit nobis peccata condonare, quod

Bono com-  
muni expe-  
diebat exi-  
gere satisfa-  
ctionem.

quod liberum unicuique sit juri suo cedere: tamen bono communi id minime expediebat. Tametsi enim cum de privato tantum commodo agitur, gloriosum est absque satisfactione debita condonare: tamen cum de bono communi res est; ne delicta impunita relinquuntur, non debent ij, qui publicum officium gerunt, & communi bono prospiciunt satisfactionem negligere. Nocet enim ferè semper bono communi illa impunitas, & reddit homines ad peccandum proniores. In Christi vero satisfactione maxime cernitur peccatorum gravitas: ut quae aliter expiari quam sanguine Filij Dei non potuerint; cernitur & beneficij magnitudo, cum tantum delictum, cui satisfaciendo pares esse nunquam possumus, nobis remittatur: Quod si ne tanta quidem gravitatis peccatorum exemplum multos homines à peccando deterret: quid fieret si ejusmodi exemplum propositum non fuisset? quod etsi multi expendere apud se considerando nolunt: plurimi tamen alij inveniunt in eo infinitam materiam ad timorem & horrorem peccatorum concipiendum.

Jam igitur ut ad argumentum Socini directè respondeam, facile apparet, quomodo Deus sit propitius peccatis, etsi satisfieri pro illis voluerit; cum eo nomine duplicem nobis gratiam praestiterit, nam & peccata remisit, & pretium quo peccata redimeremus liberaliter donavit, ipsamque satisfactionem ad majus bonum & utilitatem nostram referre voluit. Similiter, etsi peccata impunita non reliquit: verè tamen quod ad nos attinet, impunita esse voluit; ad nos enim poena minime pertinuit, nosque impunitos plane esse voluit, ac si nunquam ea commissemus; eaque ratione quod ad nos spectat, peccatorum nostrorum non est recordatus. At inquit Socinus, quomodo liberalitas fuit, si nil de suo jure remittere voluit? Imo verò remisit plurimum. cum enim nos plectere summo jure potuisset, abstinuit tamen & pepercit nobis; & Filium suum pro nobis tradidit; nobiscum igitur summo jure non egit. quamvis autem peccata nostra in Christo punivit: tamen in ea ipsa punitione, plurimum de suo jure remisit cum Filium suum unigenitum propter nos pati & mori passus est: neque solum passus est; sed ipse mortis ejus, nostra causa, author extitit; idque eo fine, ut omnia, & summa bona ex ejus morte in nos dimanarent. At inquit, nil nobis de suo donavit; sed solum Christo ut nobis donaret author fuit. quasi vero Filium suum, ex quo alia omnia bona processerunt, nobis non donaverit. Quare & pretium ipsum redemptionis nostrae, sanguinem, videlicet Christi, & si immediatè non donaverit, mediatè tamen nobis donavit. Maxime cum pretium illud, non solum

Instat Soci-  
nus.

1.

Instat.

2.

Deo ip-

Deo ipso volente & procurante; sed & Dei ipsius respectu datum sit à Christo. quod autem alicujus respectu datur, idem plane est, ac si ab ipso met datum fuisset.

Instat.

3.

Indignitas (inquit Socinus) est summa, hominem sibi charissimum, sine necessitate supplicio afficere. At in Socini sententia multo major hac indignitas cernitur; quia minor necessitas & utilitas apparet. Nos enim necessitatem & utilitatem mortis Christi ostendimus maximam: tum quia necessarium bono communi erat; ne peccata impunita manerent: tum quia ex morte Christi, non solum peccatorum remissio; sed innumera quoque alia bona, in hac & in futura vita in nos promanarunt. At Socinus neque necessitatem ullam indicare potest in sua sententia, nec aliquam magnam utilitatem. Nam quod ait ad confirmandas Dei promissiones, & nos securus reddendos, de Dei erga nos voluntate, Christum mortis supplicio affectum: talis confirmatio neque necessaria erat, cum miraculis multo magis veritas Dei promissionum confirmata fuerit; neque magnam utilitatem hominibus afferebat, cum veritas promissionum divinarum aliis multis documentis constare hominibus potuerit.

Tertium argumentum adducit Socinus, ex eo quod in Scriptura Deus nobis peccata remittere & condonare legatur: nihil autem remissioni a Deo contrarium est ac satisfactio. qui enim remittit, liberaliter donat, qui vero satisfactionem accipit; non remittit, sed justam solutionem accipit. Respondeo. Vtrumque legi in Scriptura, & Deum remittere nobis peccata, & per Christum ac sanguinis ejus pretium remittere. Vtrumque autem recte consistere potest. Quia enim à nobis nil in satisfactionem peccatorum accipitur: idcirco remitti nobis peccata dicuntur gratis, & nullo pretio: quia vero Christus pro illis satisfecit, (dicitur enim Christus peccata nostra portasse, & nos pretio sanguinis sui redemisse, & pro nobis à Deo peccatum factum esse ut supra demonstratum est) idcirco et si nostri respectu dicitur remissio, respectu tamen Christi satisfactio jure dicenda est.

At qui, inquit, nullo modo remittitur ei peccatum, pro quo alter plene satisfecit. Vbi enim nullum debitum manet, ibi non est remissio; quandoquidem satisfactione alterius totum debitum tollitur, nullus ergo locus est remissioni. Respondeo. Debitum reale, quod est in rebus, sola solutione tollitur, neque aliam remissionem requirit. At debitum personale, quod ex injuria illata & offensa oritur, requirit remissionem injuria, et

Remissio  
non pugnat  
cum satisfactio-  
ne.

Debitum  
reale.

ria, etiam satisfactione posita: maxime quum is qui offensus est potest satisfactionem omnem respicere, etiamsi alioquin ex se sufficiens esset, et paritate injuria. Exemplum est in principe, qui latronem, etsi satisfactionem sufficientem offerat, non tenetur vita donare; cumque id facit, satisfactione accepta, verè dicitur illi remittere culpam eo respectu, quod cum posset, illi vitam auferre, cesserit jure suo. Talis est Deus qui potuit summo nobiscum jure agere; & omni satisfactione repudiata, propter peccata nos condemnare: qua in re quia satisfactione Christi interveniente cessit jure suo, & satisfactionem Christi accepit, verè liberaliter nobiscum egit: nam & peccata nobis remisit, & satisfactionem à Christo ad majora nobis bona prestanda accepit. Satis vero est ad remissionem debiti, ut liberalitate remittentis debitum tollatur; Magna vero liberalitatis est satisfactionem acceptare, qua poterat non acceptari. Quocirca solutio peccatorum nostrorum, & respectu nostri est remissio, & respectu Christi est satisfactio, atque redemptio.

Opponit Socinus, Regis in illa parabola Matth. 18. exemplum: Qui omne debitum servo roganti dimisit, nulla satisfactione à quoquam accepta, ibidemque servus ille arguitur quod debitum ab altero conservo exegerit, & non liberaliter condonarit. Denique exemplum misericordia proponitur: ut nos etiam ad eum modum sine satisfactione remittamus fratribus debita.

Respondeo. Exemplum illud eo sine proponi, ne crudeliter extorqueamus debita à fratribus, cum vel soluendo non sunt, vel misericordiam postulant, ac merentur, memores, nobis majora debita à Deo gratis condonata, nulla à nobis satisfactione accepta. In eo vero exemplo non tractatur, an liceat creditori oblatum ab alio satisfactionem acceptare, quod proculdubio licitum est; & cum misericordia non pugnat.

Quartum argumentum est: satisfactio Christi minuit & obscurat tantam illam liberalitatem & charitatem Dei, quantum Scriptura predicat. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Rom. 5. v. 8. Commendat charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est. Dici enim posset, quid mirum, quod Deus Filium suum tradiderit, cum id eo sine fecerit, ut quod sibi à nobis debebatur acciperet.

Respondeo. Nihil plane minus, aut obscurari Dei summam liberalitatem & charitatem in Filio pro nobis dando. Non enim precipue ut sua re-



sua reciperet; sed ut nos salvaret, Filium suum donavit nobis. Etsi enim satisfieri sibi Deus voluit à Christo, tamen totius hujus negotij finis, & præcipua causa fuit salus nostra; & nisi ea fuisset Deus Filium suum in mundum non misisset. Omnes enim Scripturæ testantur Deum nostræ salutis causa in hunc mundum venisse. Quocirca major etiam ejus misericordia hinc esse apparet.

Soluuntur Socini rationes quibus Christum pro nobis satisfacere non potuisse, probare contendit. Cap. 33.

**M**agnam rem aggreditur Socinus irrito conatu cum demonstrat contendit Christum non solum non satisfacisse pro peccatis, sed nec potuisse satisfacere. Unus, inquit, pro altero satisfacere non potest. Etsi enim pœnam pecuniariam possit quis pro altero solvere, quod ejus pecunia possit effici debitoris, & nomine debitoris restitui creditori: tamen pœna corporis pro alio sustineri nequaquam potest, non enim pœna unius potest effici pœna alterius. Itaque respondemus Socino; nihil obstare, quo minus pœnas corporis unus pro altero sustineat, suisque pœnas alterius redimat. Non enim est necesse ut pœna unius fiat pœna alterius; sed ut exaquetur pœna alterius, & acceptetur ab eo cui satisfieri debet; atque is qui eam pro alio suscipit, spontè se submittat, ad illius perpeffionem. Ut enim in aliis quoque rebus accidit, ut una in alteram æquivalentem commutari possit. Ut si quis existat auri debitor, potest is restituere frumentum, si aurum non habeat: ita potest etiam pœna in pœnam commutari, & pœna unius, in pœnam alterius. neque enim necesse est pœnam unius fieri pœnam alterius, sed esse loco pœnæ alterius, neque Socinus hoc ulla ratione demonstrare unquam poterit. Non potest, inquit, quis esse pro alio justus, bonus, obediens, modestus. Ergo neque pati potest loco alterius. Omnia enim hæc determinatam personam concernunt, nec suppleri ab alio possunt. Respondeo disparari esse pœnam & virtutis rationem. Pœna enim natura sua commutari in alteram pœnam potest, quapropter & pœna unius in pœnam alterius. Quocirca & illi actus omnes qui pœna rationem habent, possunt ad modum pœnarum di-  
 sto modo permutari. At virtutum alia ratio est, non enim per modum pœnarum considerantur; sed absolutè secundum proprias naturas.

Pœna pro altero suscipi potest.

Bonus quis pro alio esse non potest, at puniri pro altero potest.

Non potest, inquit, aliquis pro pœna alterius satisfacere nisi eandem pœnam, quam alter pati debebat, suscipiat. Christus vero pœnam mortis æternæ, quæ nobis debebatur non sustinuit: non igitur pro nobis satisfecit. Dicendum est, minimè id esse necessarium: Satis enim est, si pœna æqualis suscipiatur: cum omnis pœna ex se hoc habeat, ut in aliam æqualem commutari possit. Fateor eam commutationem, absque voluntate & consensu ejus qui pœnam exigit, fieri non posse. Is enim si toto juris rigore agat, potest respicere omnem commutationem tam pœnarum quam personarum. At si acceptat potest ab alio substitui aliâ pœna æqualis: ita ut ea ratione justitiæ perfectè satisfiat.

Pergit Socinus. Summa, inquit, iniquitas est infontem pro nocentibus puniri. Quocirca Deus Deut. 24. v. 16. cavit, ne occidantur Patres pro filiis, nec filij pro Patribus; sed unusquisque pro peccato suo moriatur. Et Ezech. 18. v. 20. Anima quæ peccaverit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris; neque pater portabit iniquitatem Filij. At non advertit Socinus eandem mortem, prout ab alio infertur posse esse malam & injustam; prout autem passive recipitur, esse sanctam & bonam. Exemplum ejus rei clarissimum in Martyrum morte, quibus mors impiè & injustè à Tyrannis inferebatur; at sanctè & piè à martyribus excipiebatur. Hoc igitur modo mors Christi, ut à Judæis inferebatur erat injusta, & Sacrilegium omnium maximum: ut verò à Christo perferebatur, erat sanctissima Deo, gratissima, & toti mundo maximè salutaria. Porro advertendum est discrimen mortis, & aliarum pœnarum & afflictionum corporis esse sat magnum. Cum enim mortis & vitæ suæ dominium homo non habeat: quemadmodum ipse non potest sibi ipsi mortem consciscere; ita nec alteri potestatem se occidendi permittit: at in aliis pœnis corporis habet homo majorem potestatem, tum seipsum ob justam causam affligendi, tum alteri ad puniendum sese subiciendi. Nec enim quidquam impedit, quo minus eam potestatem quam ipse habet ad seipsum affligendum, possit in alium quoque transferre: ita ut ab eo justè pœna aliqua affici possit. Quamvis igitur punire alium pro alio per se sit injustum; neque decretum ejusmodi à Iudice ferri possit: ut quis invitus pro culpa alterius mulctetur: tamen si quispiam se ad pœnam pro alio subeundam spontè offerat, potest justè ea pœna illi irrogari.

Jam & illud Socinus urget: quod Christi pœna sint longè minores quæ, quas peccatis nostris merebamur. Non igitur, inquit, perfectè pro nobis satisfacere potuit. Respondemus, concedendo liberè pœnas quas Christus pro

Insons pro nocente an puniri possit.

Mors ut infertur injusta, ut recipitur, Sancta esse potest.

Discrimen mortis & aliarum pœnarum corporis.

Pœnaquam Christus pertulit, quo ad valorem maximam fuit non quo ad rationem pœnæ. Doctrina de valore actionum Christi.

stus pro nobis pertulit: si ex doloris & afflictionis acerbitate pensentur esse longè inferni pœnis inferiores, tam intensivè, quam extensivè: Verum si pretium & valorem pœnarum Christi spectemus, infinitum quendam easdem ad satisfaciendum valorem & dignitatem habere asseveramus. Quod ad hunc modum explicant Catholici Doctores: Quanto quippe persona est dignior, tanto majoris estimationis & valoris sunt ea quæ ab ipsa proficiuntur, opera. Majus enim obsequium est, quod à Rege alicui præstatur, quam quod ab homine vulgari; plusq; est honorari à Principe, quam à plebejo: etiamsi plebejus plura signa cuiusdam honoris exhibeat; & in universum loquendo, omnis actio ab eo à quo proficiuntur dignitatem suam & estimationem sortitur: ita ut persona ipsa suam quodammodo dignitatem transferat in suam actionem. Christi igitur persona cum fuerit infinita dignitatis, erat enim Deus verus; ea etiam omnia, quæ faciebat vel patiebatur, necessum ut essent infinita estimationis & dignitatis. Non est, inquit Socinus, acceptio personarum apud Deum. Quid tum? Acceptio enim personarum idcirco apud Deum non esse dicitur, quod ad vitam eternam homines, non secundum mundanos, quæ ab hominibus estimantur, respectus; sed secundum veram pietatem & virtutem Deus acceptet. Non enim quod aliquis divitiis, sapientia, nobilitate ceteris præstat, idcirco apud Deum plurius est, & majorem à Deo gratiam & gloriam consequitur. Atque in hoc sensu Paulus ait, non esse apud Deum distinctionem, Iudæi & Greci, Latini & Barbari, liberi & servi. Caterum si ob veram animi dignitatem unus alio major existat, is proculdubio apud Deum quoq; major erit: cum idcirco Christus docuerit quosdam esse majores quosdam minimos in regno cælorum. Major enim quæ verè majora sunt convenit à Deo, (cujus judicium rectissimum est) pro majoribus estimari: neque hæc est acceptio personarum; sed vera & recta personarum estimatio, secundum eam dignitatem, quæ illis verè & propriè inest, competit, & potius est rerum seu virtutum acceptio & estimatio, quam personarum. Non est, inquit, plurius apud Deum levis pœna dignissime persone, quam gravis indignissima, ubi peccata sunt paria. Verum id esse ajo, si de dignitate hujus mundi agatur: Non enim Deus nobilitatem, aut divitiarum copiam (quod mundus facit) in hominibus admiratur; sed veram virtutem, religionem, sanctimoniam. Quæ etiam id efficiunt, ut quanto, quis est sanctior & gratior Deo, tanto plurius valeant apud Deum, quæ Dei causa ab illo sunt; fieriq; potest, ut exigua pœna hominis sanctioris pro peccatis suscepta plus apud Deum ad satisfaciendum valeat, quam gravior alterius minori sanctitate præditi.

Acceptio personarum quæ.

Apud Deum persona rum est distinctio.

satisfaciendum valeat, quam gravior alterius minori sanctitate præditi. Respexit enim Deus prius ad Abel, tum ad munera ejus: gratioraq; sunt munera, cum à persona gratiori offeruntur. Ex qua re efficitur, ut intuitu justorum multa Deus beneficia hominibus etiam improbis præstet. Sodomam Deus non perdidisset, si inventi ibi fuissent decem justi. Gen. 18. v. 32. Amicos Iob quia non rectum locuti erant coram Deo, remittit ad Iob, ut oraret pro illis, promittens se suscepturum faciem ejus. Cap. 42. v. 8. Et Ierem. 15. v. 1. dicit Dominus. Si itererit Moyses & Samuel coram me (quorum oratio semper apud Deum valuit plurimum) non est anima mea ad populum istum. Hinc illud Prophetæ. psal. 131. Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. Et propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui.

Pœna à sanctiori suscepta majoris est valoris.

Saltem inquit Socinus inter pœnas aliqua debet esse proportio. Nam Christi pœna comparatione pœnarum eternarum, quas ob peccata meremur exigua est, & nullam ad illas proportionem habet. Verum esto sane ita mole quidem, (ut ita dicam) exigua est, at valore & dignitate longè maxima, quam dignitatem ex infinita persone Christi dignitate accipit. Verum namq; est, quod à Clemente S. decretum est in Epistola ejus decretali quæ incipit: Unigenitus, unam guttam Sanguinis Christi ob infinitam ejus persone dignitatem, ad totum mundum redimendum sufficere potuisse. Cur igitur, inquit, levissima aliqua pœna de Christo sumpta Deus contentus non fuit; verum ipsum tam atrociter excarnificari voluit? Scilicet ad immense Christi charitatis, & peccatorum gravitatis demonstrationem. Et ut quanto plurius Christo constitimus, tanto plus ei debeamus; neque dubitemus ex tam copiosis redemptionis fontibus, omnem divinarum gratiarum copiam in nos emanaturam.

Cur tot pœnas pertulit Christus.

Duo præterea objicit Socinus. unum est: Nemo sibi ipsi solvit aut satisfacit. Si ergo Christus Deo satisfecit, aut ipse non erit Deus, aut dicendum erit, sibi ipsi satisfecisse.

Respondeo. Vbi sunt diversa nature & voluntates, ibi locum habere vera satisfactio, etiamsi illa natura in unam pœnam concurrant. Exemplo est, illa duplicis hominis in uno homine pugna, & alterius de altero vindicatio; carnis inquam & spiritus. Caro enim concupiscit adversus

Idem diversarum naturarum respectu potest sibi ipsi satisfacere.


adversus Spiritum & Spiritus adversus carnem, quam verò de carne Spiritui repugnante sumpserit panam, Apostolus exponit.

Castigo corpus meum & in servitutem redigo. Si igitur duarum in homine copulatio naturarum, qua tamen unius integra natura humana sunt partes, id efficit, ut & pugnare inuicem possint, & pœnis se afficere, ipseque homo suam carnem pœna afficit, ad subiiciendam illam Spiritui suo: quid mirum est, si duabus naturis, qua in Christo concurrunt id concedamus, ut una satisfacere, alia satisfactionem accipere possit. Neque enim eo quod in uno Christo concurrunt, suam distinctionem amittunt, quin retinent potius distincta jura, dominia, potestates, ad eum plene modum, ac si in distinctis personis subsisterent.

Alterum est, quod opponit Socinus. Actione alias debita nemo potest pro alio satisfacere. Passio verò & mors Christi erat Deo à Christo debita, quia mandata. Mandatum enim accepit Christus à Patre ut moreretur, & mortem ex obedientia Patris sui suscepit. Deinde pro Passione sua & morte, retulit Christus amplissimum premium, suam exaltationem. de qua ad Phil. 2. Etenim ut premium hoc consequeretur passus est. nullus igitur pro nobis satisfactioni relinquitur locus.

Respondeo. Et si Christus mandatum acceperit à Patre ut moreretur: tamen hoc mandatum non alium finem respiciebat, quam satisfactionem pro hominum peccatis. Erat enim mandatum pro hominum peccatis moriendi. Quare tale mandatum non excludit satisfactionem, sed potius includit. Porro Passio Christi licet suo modo ordinaretur, ad premium illud exaltationis consequendum, præcipue tamen ad redemptionem hominum spectabat: cumque esset valoris infiniti, non illo solum premio erat digna; sed infinitum quid promerebatur: quare præter gloriam Resurrectionis, & Ascensionis merebatur etiam remissionem peccatorum totius mundi: quin & sufficiens erat ad mille alios mundos, cum multo gravioribus & pluribus peccatis (si fuisset opus) redimendos. Catero qui cum plures Socinorum rationes desecerunt, nos quoque operi finem imponemus, Adversarios per Christi gloriam & divinam ejus Majestatem obtestantes, ut oculos aliquando aperiant, Christumque verum Deum & hominem una nobiscum, hoc est, cum universa Christiana Ecclesia agnoscant & venerentur. Per-suasissimum.

simum vero sibi habeant, se divinam Christi gloriam non expugnabunt unquam, uti nec parentes ipsorum Ariani hucusque expugnare potuerunt. Neceesse enim est impleri Scripturas, ut à Solis ortu usque ad occasum sit laudabile nomen Domini, & adoretur Christus ab omnibus Regibus, & omnes gentes serviant ei. Ipsi potius peribunt, & in hoc, & in futuro saeculo. Christus autem heri & hodie ipse & in saecula. Est enim lapis fortissimus. Matth. 21. v. 44. qui ceciderit super eum confringatur, super quem vero ceciderit, conteret eum.



APPENDIX.  
 In qua obiecta Moscorovii  
 Ariani refelluntur.

*Et quàm impiè cum suis affectis de Baptismo  
 sentiat, ostenditur.*



*AM finem operi imposueram, cum in librum Hieronymi Moscorovij contra Petrum Scargam ante annum editum incidi; in cujus initio agerrime fert, se, suosq; à nostris Arianos dici, cum multis partibus ab Arianis distare se putet; præcipuè vero, quòd Ariani filium Dei ex nihilo, & ex non existentibus dicerent: ipsi verò ex virgine natum affirmant. Deinde ait, immeritò se, suosq; Christiano nomine indignos censerì: cum & Deum Christianorum agnoscant, & ea de ipso credant, qua nemo Christianorum negare potest. nempe quòd sit Pater Domini nostri Iesu Christi. Deum verò trinum in personis unum in essentia quòd agnoscere nolint: eam hujus rei causam esse, quòd id expressum in Scripturis non videant. ut igitur & nostra obiectio veritas, & Adversariorum infirma excusatio magis pateat: operæ pretium fuerit, rem totam magis hoc loco declarari, cum ad hujus libri initium nos quoq; idem Adversariis obiecerimus.*

*Ac imprimis quod ad nomen Arianorum attinet; qui Arii dogma sectatur, nomen Arii rejicere jure nullo modo potest. Ariani enim ab Arii ratione doctrine appellantur, ut pote doctrine Arii heredes & propugnatores. Nam etsi non in omnibus cum Arii conveniant: conveniunt tamen in eo quod est præcipuum & essenziale. cum Dei filium verum Deum, & Patri consubstantialem cum Arii negant. Hoc enim præcipuum fuit Arii dogma: cetera verò ad hoc unum defendendum excogitata: ut quod fuerit ex nihilo, ex non existentibus ante mundi initium conditus <sup>oppositus</sup> Patri, hoc est similis non ejusdem substantiæ. Ac quemadmodum si filius non in omnibus Patri sit similis, dummodo sit in substantia similis, verus ejus filius existet, nomenq; Patris sui referet: ita si Moscorovius essentiam quodammodo doctrine Patris sui Arii teneat; ve-*

Ariani quæ dicendi.

1.

Etsi non in omnibus cū Arii consentiant.

Z

113

2.  
Ariani discordes.

rus ejus filius, & verus Arianus dici debet, etsi in accidentariis quibusdam ab Ario discrepet. Nam neq; primi illi Ariani in omnibus cum Ario consentiebant, sed in varias sectas more omnium Hæreticorum scissi, quidam ex nihilo exit esse dicebant filium Dei, qui & severiores Ariani dicebantur: quidam ex Patris substantia, Patre tamen minorem, uti alij Ariani in Concilio Ariminensi, & Maximinus Episcopus Arianus contra quem scripsit D. Augustinus, qui etiam novi Ariani dicti sunt. Quidam æternam concedebant, alij in tempore ante res omnes conditum predicabant: omnes tamen communi nomine Ariani dicebantur, quod in unum præcipuum errorem cum Ario conspirarent: nempe Filium Dei non esse naturam Deum, nec Patri consubstantialem.

3.  
Arius ipse à seipso dissentit.

Novi Ariani veteribus peiores.

Quamquam quid opus est Ariano cum Ario in omnibus consentire, si ne Arius quidem secum semper consentit, cum toties sententiam suam, sicut licet & dolose, revocaverit. si igitur Moscorovium Arianum esse pudet, pudeat prius Arii dogma sequi, neq; ante nomen hoc infame deponet, quam Arii dogma fuerit detestatum. Quamquam cum se Moscorovius ab Ario disiungere vult, se Ario ipso deteriori prodat, mali Patris peior Filius. Plura enim Arius Filio Dei concedebat, neq; fuit adeo impudens aut impius, ut ei ante mundum, existentiam, & alteram ab humana distinctam naturam, & mundi creationem, contra manifestas scripturas negaret, quæ tamen omnia Moscorovius cum suis negat; ita ut in ijs in quibus ab Ario discedit peior Ario sit, & in Christum magis injurius. Deniq; si tantam injuriam putat Moscorovius, suosq; Arianos dici, noverit à nobis eos non absolute Arianos, sed novos Arianos appellari, hoc est Arii cum novis (at deterioribus) erroribus sectatores, ita enim verum est ipsos & Arii sequaces esse, & non in omnibus cum Ario convenire.

At objicit Moscorovius immerito eos Arianos appellari, qui Deum trinum in personis non agnoscunt, cum Arius non propterea sit in Concilio Nicæno excommunicatus quod Trinitatem negaverit, sed quod Dei filium ex non entibus creatum docuerit. Imo Patres Nicæni Concilij illo saltim tempore Trinitatem non agnovisse inde colligi putat, quia de Spiritu Sancti divinitate, & persona nihil tum decreverant, solum in Symbolo addiderunt. credimus & in Spiritum Sanctum.

Arius negando consubstantiale Filium, Trinitatem oppugnavit.

Sed Moscorovio respondendum est; Arium id maxime egisse, ut Trinitatis fidem everteret, quæ in communi trium personarum essentia fundatur. Nam etsi de Filio Dei multa absurde doceret: id tamen maxime vixit, ne opus hoc, seu consubstantialis Patri crederetur. Neq; ulla rationibus adduci potuit ut voce Consubstantialis subscriberet: nimirum.

rum quod ea voce communis trium personarum essentia designaretur. Et si autem Filium solum consubstantialem esse negaret, nulla Spiritus Sancti facta mentione; siquidem de Filio tum omnis erat controversia: tamen idem proculdubio de Spiritu Sancto sentiebat. Neq; enim Spiritui Sancto plus quam Filio attribuebat, quem Filij creaturam statuebat, & à Filio mitti, procedere, donari non ignorabat. Quocirca & Patres Concilij Nicæni id potissimum spectabant, ut voce Consubstantialis apposita, totius Trinitatis fidem stabilirent, & in Symbolo Fidei professi sunt, credimus in Deum Patrem, & in Filium consubstantialem Patri, & in Spiritum Sanctum. Testis ejus rei est Athanasius, qui Concilio Nicæno interfuit, cum in Epistola ad Africanos ita ait. Eadem illa Synodus blasphematores Spiritus Sancti, dicentesq; eum creaturam esse, subvertit. Nam cum Patres statuisent de Fide in Filium id statim addendum voluere. Credimus & in Spiritum Sanctum, ut perfectam & plenam de Sancta Trinitate fidem, confessionesq; absolventes, formam ejus, quæ in Christo est fidei & doctrinam Catholica Ecclesia exhiberet: cum & vobis omnibus sit notum, neminiq; Christianorum unquam dubium fuerit, nos in Deum non in creaturam habere fidem; Deum inquam Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium ejus unigenitum. Et in Spiritum Sanctum; unum Deum in S. Trinitate cognoscentes, in qua baptizamur, & in quam cooptamur Trinitate. Hoc ergo Athanasij testimonium, qui & synodo interfuit, & Patrum illorum in condendo Symbolo mentem optime perspectam habuit, & pro omnibus cum Ario decertavit, satis esse debet ad temeritatem Moscorovij refellendam, asserentis Patres Concilij Nicæni fidem Trinitatis ignorasse, cum eam non solum non ignorarint, sed et in Symbolo exposuerint. Exposuerunt autem cum æquè se credere in Deum patrem, & in Filium consubstantialem Patri, & in Spiritum S. professi sunt.

Item quod ad Christianum nomen attinet, non nos primum, sanctum hoc nomen Ariani negamus, negarunt ante nos Sancti Patres qui Arianos Gentilium numero adscripserunt. Negavit Magnus ille Constantinus, cum Arium & ejus sectatores, non Christianos, sed Porphyrianos in posterum nuncupari, & eorum libros cremari, edicto gravissimo cavuit, ea de causa quod non minus quam Porphyrius essent religionis Christiane oppugnatores & destructores: Porphyrius quidem aperto Marte cum Christianis decertando, Arius autem simulatè, Christiano nomine teclis. Porro D. Athanasius sermone 3. & 4. contra Arianos du-

Athanasij testimonium.

Ariani non Christiani sed Porphyriani appellari jubetur

Ariani Gen-  
tiles dicti du-  
plici ex cau-  
sa.

1.  
Idololatæ.  
2.  
Abolent ba-  
ptismum.

plici ratione ostendit Arianos Christiana fide abolita Gentilismum inducere voluisse. Primum quod creaturam pro Deo colendam statuerent, qui Gentilium proprius est error. Gentiles enim proprie sunt, qui creaturas pro Deo colunt. Ariani autem Christum, quem creaturam esse volunt, pro Deo colendum exponunt. qua etiam ratione non Gentilismum solum, sed & idololatriam in Ecclesiam inducunt: summa siquidem idololatria est, creaturam pro Deo colere. Deinde quod Sanctum Baptisma, in quo omnes consignantur ac nominantur Christiani, penitus abolerent. Si enim (inquit Athanasius) in nomine Patris, & Filij datur perfectio, plenæq; initiatio, Patrem autem verum illi non pronunciant, eò quod negant aliquid ex illo existere, & simile esse illius substantie, negantq; verum Filium, aliumq; ex non entibus conditum sibi commincentes in Baptismate proferunt: qui quaso non planè vanum ac inutile fuerit Baptisma, quod ab illis datur, cum non nisi species sit & inane simulachrum, ipsiq; ea re nihil solidæ opus adferant ad pietatem? Non enim in Patre & Filio tribuunt Baptisma Ariani, sed in Creatore & Creatura, Factore & factura. Advertit S. Athanasius nec verum Patrem, nec verum Filium Arianos significare in Baptismo; cum verus Pater non sit qui ex sua substantia sibi similem Filium non generat, nec Filius verus qui non est ex Patris substantia genitus: sic autem totus Christianorum Baptismus aboletur, qui invocatione Patris & Filij perficitur.

Quod igitur Sanctissimi Patres ante nos fecerunt, ut Arianos à nomine Christiano repellerent, qui nobis vitio verti potest, quod idem nobis Arianis faciamus? Anne qui Christum non confitentur, Christianus dici poterit? Arianos autem certum est Christum non confiteri, cum divinam ejus essentiam tollunt, aliumq; diversum, seu diversæ essentia confictum Christum pro vero Christo obtrudunt.

Trinitatis  
professio in  
Baptismo.

In solius  
Dei nomine  
baptizamur.

Deinde nullus ab Apostolorum temporibus pro Christiano habitus est, qui non esset baptizatus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, idq; institutione & mandato ipsius Christi. Porro ea baptismi formæ Trinitatis professio & invocatio continetur. Nomen enim in quo baptizamur non est nisi veri Dei nomen, qui Deus est Pater, Filius, & Spiritus S. Absit enim ut in nomine creaturae baptizemur. Horrui id adeo Paulus, ut tanquam absurdum gravissimum inferret. Aut in nomine (inquit) Pauli baptizati estis? Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? Et sane merito. In illo enim nomine baptizamur, quod nobis est salutis causa & remissionis peccatorum. Is enim est effectus baptismi à Christo promissus illis.

sis illis verbis. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Cum igitur solius veri Dei nomen sit nostra salutis præcipua causa; consequens est nomen in quo baptizamur, esse nomen solius veri Dei: quod nomen cum sit commune, Patri, Filio, & Spiritui Sancto (siquidem æquè in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizamur) sequitur Patrem, Filium, & Spiritum S. Deum verum esse; alioquin in eorum nomine baptizari non possemus: propterea enim in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. baptizamur, quia nomen eorum est nomen veri Dei, et si Pater, aut Filius, aut Spiritus S. Deus verus non esset, baptizari in nomine eorum minime possemus. Nefas enim est in nomine creaturae baptizari. Quod & magis declaratur in hunc modum. Deus solus est præcipua nostra salutis causa. etsi enim multa possunt esse cause salutis nostræ instrumentales vel ministeriales, tamen præcipua causa non est nisi Deus. Hæc porro causa denotatur cum dicimur baptizari in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti. Is enim cujus nomine dicitur aliquid fieri, est præcipua causa illius actionis: neque enim Minister suo, sed Domini nomine agit. Quocirca & Baptismus qui est sacramentum salutis, cum dicitur in nomine Patris & Filij & Spiritus S. conferri, Pater & Filius & Spiritus S. intelliguntur esse præcipua causa, à qua salus & ablutio peccatorum in Baptismo nobis proveniat. Ex hoc autem consequetur omnes tres verum esse Deum, cum sint præcipua causa salutis: neq; enim Sacramentum salutis conferri nomine Ministri, sed solum ejus nomine qui est præcipua causa salutis. Nam Minister in eo in quo est Minister, non suo nomine agit, sed nomine cause principalis.

Jam igitur ut ad rem revertamur, si Baptismo efficimur Christiani, idq; non nisi per invocationem veri Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti; quis non videt Arianos Christianos non esse, qui & invocationem Trinitatis non admittunt, & omnem baptismi rationem evertunt. Nam & formam Baptismi & effectum, & necessitatem penitus auferunt. Forma baptismi est, ut in nomine Patris, Filij & Spiritus S. conferatur; quibus verbis invocationem Trinitatis contineri jam docuimus. Eam Ariani tollunt penitus: nam neq; trinum Deum in personis agnoscunt, neq; verum Patrem, & verum Dei Filium, ut paulo ante ex Athanasio dicebamus quo fit, ut neq; in nomine veri Patris, neq; in nomine veri Filij baptizent. Nam de Spiritu S. quid dicam? quem non personam, sed Dei solum virtutem vult esse Moscorovius, quasi Spiritus S. non sit ejusmodi Dei virtus, qua intelligat, loquatur, audiat, annunciet. Ioan. 16. Quod quid aliud est quam personam esse?

Deus prima  
salutis causa

Ariani formam  
Baptismi evertunt.

Spiritus S.  
est persona.

Apostoli fidem Trinitatis docuerunt:

1.

At inquit Moscorovius, Apostolos fidem Trinitatis non docuisse. Imò verò non modo docuerunt, sed & primo & ante omnia docuerunt, nec ad numerum Christianorum admittebant quenquam, nisi baptizatum in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti, quod est Dei trinis in personis nomen. Cum dicerent in nomine, nomen Dei intelligebant: cum verò Patrem, Filium & Spiritum S. nominabant; tres personas exprimebant, & sic tres personas unius Deitatis docebant fideles ut crederent. Eam verò fidem deinde Christiani ab Apostolis edocti in toto orbe predicarunt, ut non solum primorum illorum seculorum Patres sunt testes locupletissimi quos citat Bellarminus, sed & Gentiles ipsi, qui eam de Deo trino in personis Christianorum sententiam suis scriptis consignerunt. Tale est illud apud Lucianum in Philopatro, ubi Christianum adducit Catechisantem Ethnicum de fide Trinitatis. Deum, inquit, alie regnantem, magnum, athercum, atq; eternum Filium Patris & Spiritum S. ex Patre procedentem, unum ex tribus & ex uno tria. hec in Iovem puta, hunc Deum existima. Scilicet ita communis fuit apud Christianos in fide Trinitatis catechisandi ratio, ut eam Gentiles non ignorarent: & tanquam Christianis usitatum in medium adducerent. Vixit autem Lucianus sub Traiano Imperatore circa annum Domini centesimum vigesimum.

2. Gentilium testimonium.

3.

Hymnus Glorificationis.

Hoc ipsum fortius evincit Hymnus ille Glorificationis GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITUI S. in Ecclesia ab ipsis Apostolorum temporibus usitatus. Basilio teste libro de Spiritu Sancto. C. 7. 27. 29. Cui postea in Concilio Nicano ad confundendos Arianos adjuncta est illa Appendix. Sicut erat in principio & nunc & semper & in secula, seculorum. ut Patres in Concilio Vasensi primo, paulò post Nicenum Concilium celebrato, testantur. Qui quidem Hymnus cum & professionem Trinitatis & gloriam contineat: argumento esse potest fidem Trinitatis ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia viguisse.

Baptismus in nomine Iesu qualis:

At non posse, ait, ostendi Apostolos aliquando baptizasse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. sed tantum in nomine Iesu. Acto. 2. versu 38. Acto. 8. 12. Acto. 10. 48. Acto. 19. 5. Acto. 22. 16. Quasi verò baptizando in nomine Patris, Filij, Spiritus S. non baptizarent in nomine Iesu, aut baptizando in nomine Iesu, non baptizarent in nomine Pa-

tris &

aris & Filij & Spiritus S. Cum enim baptizabant in nomine trium personarum, etiam in nomine Iesu baptizabant, & cum baptizabant in nomine Iesu, alias duas personas non excludebant. obseruare enim tenebantur formam à Christo prescriptam, baptizandi in nomine trium personarum, neq; verisimile est Apostolos aut tam citò institutionis Christi oblitos, aut tam negligentes fuisse, ut ne semel quidem eam executioni mandarint. Acto. 19. 3. Certè cum Paulus Ephesi inuenisset discipulos qui non solum Spiritum S. non acceperant, sed neq; si esset Spiritus S. audiverant, admiratus ait. In quo ergo baptizati estis? nempe significans eos Spiritum S. ignorare non potuisse, qui in nomine Spiritus S. baptizati essent: Hoc enim indicant illa verba. In quo ergo baptizati estis? Ac si diceret: An non in nomine Spiritus S. baptizati estis? Quomodo ergo ignoratis id in quo baptizati estis? Cur igitur, inquit, dicuntur in Actis passim baptizati in nomine Christi? Scilicet, quia Baptismus speciali quadam ratione dicebatur Baptismus Christi, quia à Christo institutus, mandatus, publicatus. verum non alius Baptismus dicebatur in nomine Christi, nisi is qui in nomine Patris & Filij & Spiritus S. conferebatur. Hunc enim Christus instituerat, docuerat, praeceperat: & idcirco hic, non alius dicebatur Baptismus Christi. Non igitur querat Moscorovius ubi Apostoli in nomine trium personarum baptizaverint, sed ostendat potius ubi non baptizaverint. Nos enim ubicunq; legimus Baptismum Christi, vel in nomine Christi, ibi intelligimus Baptismum à Christo institutum in nomine Patris & Filij & Spiritus S.

Addit Moscorovius, in forma Baptismi, Patris quidem Filij & Spiritus S. differentiam exprimi, at non unitatem Deitatis. At jam ostendimus unum horum trium nomen esse, unam Deitatem. Neq; enim baptizamur nisi in Dei nomine. Quare cum in Patris, Filij & Spiritus Sancti nomine baptizamur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum Deum esse oportet. Rectèq; à Sanctis Patribus observatum est, nos non baptizari in nominibus, sed in nomine Patris, & Filij & Spiritus S. quod trium personarum sit unum nomen Deus, in quo baptizamur. Spiritus S. Deus verus (inquit Moscorovius) nullibi in scriptura dicitur Deus. At ne alia scriptura testimonia commemorem, ea tantum afferam, quae à Petro Scarga Moscorovio objecta sunt, à quibus sese Moscorovius expedire, quantumvis in omnem partem se verset, non potest.

Primum argumentum: Spiritus S. ita est in Deo, ut su increatus & coe-

In nomine non in nominibus baptizamur.

Spiritus S. Deus verus.

& coaeternus. Est igitur Deus verus. Nam quicquid in Deo est Deus est. Nihil etiam coaeternum & increatum est, prater Deum.

Huic rationi opponit Socinus, multa esse in Deo quae tamen Deus non sunt. Nam & propositum illud Dei 2. Tim. 1. fuit in Deo ante tempora secularia; & attributa divina sunt in Deo ab aeterno, & tamen neque sunt Deus, neque persona divina. Praeterea lux illa inaccessibilis in qua Deus habitat. 1. Tim. 6. v. 16. ab aeterno sunt & increata ut ex Hebra. Cap. 12. v. 27. colligi putat, & tamen locus ille Dei sanctissimus, Deus non est. Non igitur quicquid aeternum & increatum est, Deus est. Sed errat turpiter Moscorovius contra omnem Theologiam & rationem. Omnium enim Theologorum pronuntiatum est: Quicquid in Deo est, Deus est. Nam si aliud sit quam Deus, Dei accidens erit, aut modo accidentis Deo copulatum. A Deo autem & omne accidens abest, & omnis compositio. Imperfectum enim esse oportet cui aliquod accidens adjungi aut perfectio accidere potest. Cum igitur divina substantia sit infinite perfecta, nullius accidentis aut perfectionis adjuncta capax est, sed omnem perfectionem simplicissima ratione, & absque ulla compositione in se comprehendit. Quapropter Moscorovius si divinas proprietates & attributa ita esse in Deo putat, ut non sint Deus, fateatur oportet esse Dei accidentia. quod ita absurdum est, ut omnem Entis infiniti & actus puri rationem evertat, & cum Dei simplicitate & perfectione consistere non possit. At donandus est hic error Moscorovio, ut pote qui res Theologicas ne à primo quidem limine salutavit. Legisset saltem D. Ioannem, qui in prima sua Epistola cap. 1. docet, Deum esse charitatem: Deus inquit, charitas est. Si enim charitas, quod est quoddam Dei attributum, ita est in Deo ut sit ipse Deus: Cur idem de ceteris quoque attributis non credamus? Porro ex eo non sequitur, quod Statorius opponit, tot futuras in Deo personas quot attributa. Ut enim quod in Deo est, idem sit cum Deo divina simplicitas facit; ut verò idem sit etiam specialis persona, origo & processio requiritur. Cum igitur in Deo duo solum origines & processiones inveniuntur, una verbi divini, alia divini amoris, dua quoque erunt persona procedentes, persona Filij & Spiritus S. Alia porro attributa nullam originem & processionem in Deo involuunt, quare ita sunt in Deo, ut non sint persona.

Praeter Deum nihil in creatum.

Jam & ille error Moscorovij quantus est, cum existimet aliquid aeternum & increatum esse, quod Deus non sit. Quod enim increatum est, ex se est: quod ex se est, infinitum est & illimitatum, non habet enim

Quod in Deo est, Deus est.

In Deo non est accidens

à quo limitetur: quod autem est ens simpliciter infinitum, Deus est: cum neque majus quid esse possit ente infinito, nec Deo plus tribuere possimus, quam quod sit ens infinitum. Infinito enim omnia continentur. Quod si plura statuantur increata, erunt plura entia infinita, plures Dij. Quod verò exempli loco adducit lucem illam inaccessibilem quam Deus inhabitat; tam crassus est Moscorovius, ut existimet lucem quandam ad modum loci Deo circumfusam; quasi Deus luce pro loco egeat, & non potius Deus sit lux illa inaccessibilis, de qua scriptum est. Deus lux est, & tenebrae in illo non sunt ulla. Dicitur autem modo nostro loquendi habitare in luce, quia est ipsa lux inaccessibilis, quam nemo hominum vidit, sed nec videre potest. Accedit, quod si lux illa sit extra Deum, quæro, num sit quid minus Deo vel aequale? Si minus, non erit increata. Quomodo enim Deus tota sua omnipotentia, creare illam non posset? aut quomodo esset omnipotens, si rem se longe minorem efficere non posset? Si vero statuatur par & aequalis Deo, erit Deus: nil enim Deo aequale esse potest, quod non sit Deus. Denique in caelesti illa Hierusalem, in qua Deus conspicitur, describit S. Ioannes in Apocalypsi 21. v. 23. Nullam aliam lucem conspici præter Deum. Et civitas, inquit, non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam & lucerna ejus est agnus. Certè si in illa civitate caelesti Deus videtur, multo magis lux illa si esset videretur. Neque enim magis invisibilis & inaccessibilis esset quam Deus. Sed facessant hæc vappa fumidi capitis figmenta. Porro locus ad Hebr. cap. 12. v. 27. in quo Paulus memorat quedam mobilia & facta, alia immobilia, & regnum immobile; nihil facit ad confirmandum hoc commentum. Ita enim videtur argumentari. Si mobilia dicuntur facta, ergo immobilia non erunt facta, erunt igitur increata. At errat: nec enim intelligit quid Paulus nomine tam mobilium quam factorum intellexerit. Nam mobilia Paulus eo loco vocat legem veterem, quæ cum tota esset in figuris & umbris rerum futurarum, adveniente veritate & impletis figuris mutari debuit: hæc porro mobilia vocat facta, id est impleta, non quia de nihilo condita, ut fortè putavit Moscorovius. Porro his mobilibus opponit immobilia, id est legem Evangelicam immobilem, quæ nunquam mutabitur nec abrogabitur: quia non consistit in rerum futurarum, quæ fieri debent, significatione, quibus factis & impletis tolli debeat, ut lex vetus: sed in rerum ipsa veritate. Et hoc sensu legem Evangelicam vocat regnum immobile, hoc est regnum quod nunquam mutabitur, nec ei ulla alia lex succedet, per quam tollatur.

Lux quam Deus inhabitat quid sit.

Non est increata.

Explicatur locus ad Hebr. 12.

Vnum



Spiritus Dei  
et hominis  
discrimen.

Vnum tamen restat addendum circa id quod diximus, Spiritum S. in Deo esse tanquam Spiritum ejus, ejusdemq; cum Deo substantia, sicut & Spiritus hominis est ejusdem cum homine substantia. Est enim notanda inter Spiritum hominis & Dei differentia. Quod cum Spiritus hominis sit pars hominis, non tota hominis substantia, idcirco neq; est homo neq; persona aliqua: at Spiritus in Deo est, non ut pars aliqua, sed perfecte idem quod Deus: idcirco dicimus ita esse in Deo ut sit Deus, & persona divina propter specialem originem, & ratione originis substantiam, que personam in Deo constituit. Cum vero Moscorovius Spiritum a Deo distinguit, quod S. Spiritus est in Deo, Deus autem nullo modo potest dici in Spiritu S. non advertit S. Spiritum esse unius cum Deo essentia: quorum autem una est communisq; essentia, ea in seipsis mutuo inexistunt. Ratione igitur communis essentia, omnes tres persone sunt in se invicem, quare & Pater in Filio, & Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in utroq;. At Moscorovio erroris occasio est quod Sanctum Spiritum nil nisi Dei virtutem existimat, non vero personam Deo consubstantialem.

2.

Secundum argumentum est: Spiritus Sanctus in Baptismo nos regenerat & salutem tribuit. Est igitur verus Deus. Solus enim Deus est prima nostra salutis causa. Quod & D. Gregorius Nazian. quodam in loco urget cum ait. Si non est Deus adorandus Spiritus S. quomodo me Deus per Baptismum efficit? At Moscorovius cum non haberet quod huic rationi opponeret, summa temeritate negavit nos in Baptismo aqua regenerari a Spiritu Sancto, quod paulo inferius refellendum est. nunc solum urgeo Sanctum Spiritum non ut instrumentum ad nostram generationem concurrere, sed ut causam precipuam, cum aequè in nomine Spiritus S. ac in nomine Patris baptizemur, ut paulo ante demonstravimus.

Spiritus S.  
non est in-  
strumentum.

3.

Tertium argumentum. Si Spiritus S. non est Deus, neq; Pater erit Deus, siquidem parem cum Patre habet virtutem ad nos sanctificandos, aequè enim in nomine Patris & Filii & Spiritus S. baptizemur ad salutem & remissionem peccatorum.

Respondet Moscorovius. Ex eo quod quis cum Deo concurrat ad aliquem effectum, non sequitur esse Deum. sic Angelus & Moyses cooperati sunt Deo, in liberando populo ex Aegypto. Sic Iudicum 7. Gladius Dei & Gedeonis dicitur. Sic Paulus 1. Cor. 9. C. v. 22. aliquos dicit se salvasse. neq; tamen hi propterea fuerunt Dy. Deus enim ex se habet virtutem, alij ex Deo. Sed errat toto caelo Moscorovius: non enim nos ex quacung;

cum

cum Deo cooperatione inferimus Spiritum S. Deum, sed quod aequè Deus & Spiritus S. sit prima causa salutis ac sanctificationis nostrae; cum aequè in nomine Patris & Filii ac Spiritus S. baptizemur in salutem. Is enim in cuius nomine baptizemur, est prima causa salutis. cum baptismus sit Sacramentum salutis: nullo autem modo nomine alicujus creaturae nos baptizemur: hoc enim esset creaturam facere primam causam salutis. prima enim causa convenit, ut nomine ejus agatur: causa verò media & subordinata aut ministeriali non convenit nomine suo agere, sed nomine causa prima.

Jam quod ad effectum Baptismi attinet, eum penitus isti novi Ariani negant, nullamq; Baptismo aliam virtutem concedunt, nisi ut sit caeremonia, qua homines Christum pro suo Domino agnoscant: imo in sua Catechesi Rakoviana ajunt; Adultos aqua regenerari posse; tantum à veritate abesse, ut etiam videatur quidpiam idololatriæ simile: cum rei materiæ hoc adscribitur, quod ipsi Deo & sacro ejus verbo adscribendum est. Deus enim nos genuit verbo veritatis suæ. Jac. 1. 18. & semen illud non corruptibile sed incorruptibile quo nos generari oportet, est verbum Dei vivum & in æternum perseverans. 1. Petri 1. 22. Hac illi contra omnes scripturas, & omnem veritatem effutiunt. Quid enim clarius in scripturis, quàm Baptismo aqua salutem, peccatorum abluionem, regenerationem tribui? Christi verba sunt, nec possunt ulla tergiversatione eludi. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: Non igitur soli fidei, sed & Baptismo salus tribuitur. Neq; satis est ad salutem credere, sed & baptizari oportet: eademq; salus est fidei & Baptismi effectus. quod & D. Petrus in sua Epistola cap. 3. exponit. Sicut in arca Noë octo anime salvæ factæ sunt per aquam: ita & nos similis forma salvos facit Baptisma. Quàm verò dilucide peccatorum ablutio Baptismo tribuitur. Act. 22. 16. Baptizare, inquit Ananias Paulo, & ablue peccata tua invocato nomine Iesu. Quibus sanè verbis monet Paulum, ut Baptismo abluat peccata sua, jubet intingi aqua ad abluenda peccata. Quod quid aliud est, quàm Baptismo peccatorum abluionem adscribere? Falsum enim est quod Catechesi Rakoviana ait, Baptismo peccatorum abluionem tribui solum tanquam signo adumbranti, non etiam efficienti: Non enim Paulum jubet Ananias baptizari ad significandam abluionem peccatorum, sed consequendam. Qui enim jubet aliquem intingi aqua, & ablu; proculdubio non significari vult, sed effici abluionem aqua, maxime si idcirco tingatur aqua ut abluatur, eidemq; aque

Spiritus S.  
est prima  
causa salu-  
tis.

Ariani effe-  
ctum Bap-  
tismi negati

Salus Bap-  
tismo tribu-  
itur.

Non ut nu-  
do signo sed  
ut causæ ef-  
ficienti.

tinctio

42

tinctio & ablutio tribuenda est. Non est autem dubium abluitionem peccatorum esse finem Baptismi, qui idcirco dicitur dari in remissionem peccatorum, Act. 2. v. 38. & hoc discrimine Ioannis Baptismus à Baptismo Christi secernitur, quòd licet uterq; baptizaret aqua, Ioannes tamen nihil præter aquam conferebat, Christus autem per aquam conferebat gratiam, & baptizando aqua, baptizabat simul Spiritu Sancto.

Invocatio  
nominis Ie-  
su in Baptis-  
mo quid ef-  
ficiat.

Falsa etiam est & illa alia Catechesis explicatio, ut Paulus iubetur abluere peccata non Baptismo, sed invocatione nominis Iesu. Clarum enim est ex dictis baptizari & abluere consequentia esse, & ex lotione abluitionem sequi. Neq; enim qui lavatur & abluatur, alia re lavatur, alia abluatur, sed una eademq; re qua lavatur, abluatur, præsertim cum idcirco lavatur ut abluatur. Deinde invocatio nominis Iesu non magis ad abluitionem peccatorum, quam ad Baptismum pertinet: cum Baptismus ita sit à Christo institutus, ut per invocationem Patris & Filij & Spiritus S. conferri debeat. Si igitur ablutio peccatorum fit per invocationem nominis Iesu, etiam Baptismus fit per invocationem nominis Iesu. Quod si ex invocatione nominis Iesu sequitur ablutio peccatorum, sequetur etiam ex Baptismo: is siquidem fit per invocationem nominis Iesu. Imò illa invocatio propriè & immediatè spectat ad Baptismum, & mediante Baptismo ad abluitionem: idcirco enim legimus non semel in Actis Baptizatos in nomine Iesu, in remissionem peccatorum. Act. 2. 38. ubi invocatio nominis Iesu cum Baptismo coniungitur, ad eum finem ut consequatur remissio peccatorum. Et sicut ablutio ex lotionem consequitur, ita ablutio peccatorum ex lotionem Baptismi à Christo instituta.

At inquit. Tota peccatorum ablutio invocationi nominis Iesu tribuenda est non aqua. Si id ita est, posset igitur quis vel non adhibita aqua, vel adhibito alio liquore baptizare, vel saltem Baptismi effectum, qui est ablutio peccatorum, conferre per solam invocationem nominis Iesu, aut in nomine Patris, & Filij & Spiritus Sancti. Quod cum fieri non possit (alioqui frustra institutus esset Baptismus) manifestum est non solam invocationem, sed & Baptismum ex institutione Christi ad hoc requiri. Difertis enim verbis dictum est à Christo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Non igitur satis est, invocare nomen Domini, quod qui credit, invocare potest: sed etiam baptizari necesse ad salutem consequendam. Etsi enim scriptum est: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit. tamen etiam scriptum est: Non omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: ita ut ista in spe-

in speciem pugnantia scripturæ loca hoc modo concilianda sint; ut omnis qui invocaverit (si cetera quæ Christus præscripsit ad salutem servaverit) salvus erit. Tales enim conditiones in sententiis similibus universalibus necessario intelligenda sunt. Præscripsit autem Christus inter cetera, ut ij qui credunt & invocant nomen Domini, baptizentur, & servent reliqua Dei mandata. Qui crediderit & baptizatus fuerit salvus erit. Quapropter non solum ex invocatione nominis Iesu, sed & ex institutione Christi Baptismus habet vim abluendi peccata: imò & invocatio illa Patris, Filij & Spiritus Sancti, quæ fit in Baptismo, ex institutione Christi habet vim Sacramentalem ad abluenda peccata, quantum extra Sacramentum non habet. Si enim quis rejecto Baptismo invocaret nomen Domini, salvus non esset. Quapropter etsi daremus adversariis, invocationi nominis Iesu abluitionem peccatorum tribuendam esse, tamen non cuiuscumq; invocationi id conveniret, sed illi quæ fit in Baptismo & per Baptismum: huic enim ablutio peccatorum à Christo promissa est.

Neq; verò incredibile aut superstitiosum debet videri, rei materia effectum, qui solius Dei est, ascribere. Non enim id habet res illa ex se, sed ex Deo. Possunt enim res omnes, ad ea quæ naturam earum excedunt, esse Dei instrumenta. Quare si Christo non fuit superstitiosum luto de sputo facto aperire oculos cæci nati: & digito in aures immisso sanare surditatem, & insufflando in Apostolos dare Spiritum Sanctum: non erit etiam superstitiosum Baptismo aquæ, abluere peccata, ac aqua ubi veluti instrumento ut corpus tangendo, animam abluat & Sanctificet.

Jam verò scriptura non salutem solum, & remissionem peccatorum, sed & regenerationem Baptismo attribuit. Illustria sunt Christi Domini verba Ioan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Duo commemorat principia generationis nostræ, & aquam & Spiritum Sanctum. At Moscorovius cum suis in unum confundit, aquam intelligens ipsum Spiritum Sanctum. Quid ita? Quod in tota hac deniceps cum Nicodemo disputatione solius Spiritus & non aquæ mentio fiat, hoc igitur signum esse aquæ nomine Spiritum S. intellectum. Futilis sanè & inepta ratio. Quasi necesse sit omnia generationis principia semper commemorari, & non satis sit, nominari præcipuum principium, à quo cetera dependent, maxime semel enumeratis omnibus. Nam & adversarij fatentur duo esse principia generationis nostræ spiritualis, Deum & verbum ejus. Neq; tamen quoties

An invocare nomen Domini satis sit ad salutem.

Nulla est superstitio aquæ ut Dei instrumento vim abluendi peccata tribueret.

Regeneratio Baptismo tribuitur.

Obiectio Moscorovij soluitur cū aquam, Spiritum Sanctum interpretatur.

de ea

de ea generatione scriptura loquitur, utriusque principij mentionem facit; sed saepe absolute dicit, nos ex Deo natos esse, nulla facta mentione verbi: quod Deus sit precipua causa generationis nostrae, cuius verbum est veluti instrumentum. Quemadmodum igitur ex eo non licet inferre, verbum aut non esse principium generationis nostrae spiritualis, aut idem esse cum Deo: ita neque licebit eadem ex causa inferre, aquam aut non esse principium regenerationis nostrae, aut esse idem quod Spiritum Sanctum: Sicut enim verbum, ita & aqua Baptismi est Spiritus S. instrumentum ad nos regenerandos. Et commemorata causa principali, instrumentum quoque ipsius tacite intelligendum est. Idcirco igitur deinceps non commemoratur aqua sed Spiritus Sanctus: quia aqua jam a principio commemorata fuerat, & non est precipuum principium, sed Spiritus S. quo etiam commemorato, ipsa ut ejus instrumentum tacite intelligitur.

Deus media corporea ad salutem nostram adhibea.

Quam absurdum negare mediis externis vim ad salutem.

Aquam non esse Spiritum S. probatur.

At aqua, inquit, res est materiata, regeneratio vero spiritualis. Recte sane. verum divinae sapientiae, quae suaviter omnia disponit, & naturis rerum se accommodat, ordo id postulat, ut cum corpore & Spiritu constemus, nobis Spiritualia per media corporalia conferantur. Si incorporei essemus, Deus nobis incorporea media ad salutem praeberet. At quia corporei sumus, in corporeis intelligibilia nobis representat. Sic fides ex auditu, & praedicationis externis medio nobis donatur a Deo. Sic sub corporali specie panis & vini Christi corpore & sanguine participamus. Sic Christus per insufflationem externam, dedit Spiritum S. Apostolis, & rerum spiritualium atque caelestium notitiam parabolis, hoc est, rerum corporearum similitudinibus communicare solitus erat. Denique Deus ipse per mortem externam & corpoream Filij sui voluit nobis vitam aeternam & omnia spiritualia bona comparare: ita ut recte Calvinoturcismo deducatur, eos qui censent externas & corporeas res nihil ad animos purificandos valere (quales sunt cum Calvinistis Ariani) viam eo ipso sternere ad negandam Christi mortem, ex qua salus animorum nostrorum & omnis gratia divina thesauri in nos redundarunt. Id quod tandem Racoviani Ariani per summam impietatem & impudentiam disertè fateri non verentur, cum Christi mortem tantummodo fiducia promissionum divinarum in nobis excitari, non autem ex se ipsa vim ullam habere ad nos salvandos docent.

Sed ut ad locum D. Ioannis revertamur, satis patet nullam habere rationem adversarios, ut aquae nomine, non aquam Baptismi, sed Spiritum Sanctum interpretentur; imo multis rationibus suaderi potest, eam inter

interpretationem dicto scripturae loco minimè convenire. Primum quod à propria vocum significatione in Scripturis exponendis sine ratione vel autoritate sufficiente non est recedendum, maximè contra nubem Doctorum, & omnium saeculorum ac totius antiquitatis sensum, ubi sic accidit. Alioquin infinita erit in scripturis exponendis licentia. Deinde si de Spiritu S. solum loqui voluisset Christus, nullam aquae sed Spiritus tantum mentionem fecisset, aquae siquidem mentio ad nihil aliud valuisset quam ad obscurandam Christi sententiam. Nam si dixisset, nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto, facilius tum Nicodemo, tum aliis Christi sententia constaret. At quod aqua significet Spiritum Sanctum, id ita obscurum est, ut non solum Nicodemo, sed neque ulli ex omni antiquitate, & tot ante aetis saeculis venire in mentem potuerit, nisi Calvino & nostris Arianis Racoviensibus. Tertio Christus aquam absolute nominavit. Quod si aquam Spiritualem intelligere voluisset, addidisset proculdubio aliquid ex quo pateret aquam non proprie, sed metaphorice accipiendam esse. Non enim ad hoc sufficit, quod de Spirituali regeneratione agatur. Ut enim ostensum est, per media corporea nobis à Deo spiritualia suppeditari solent. Ajunt, simili ratione Matth. 3. v. 11. de Christo dici: Ipse baptizabit nos Spiritu S. & igne. Vbi ignis idem est quod Spiritus Sanctus, & Conjunctio, Et, exegeticè exponitur, id est. At cum id aiunt, ipsi gladio proprio se jugulant. Nam eo loco ignis non Spiritum S. sed ignem externum in quo Spiritus S. die Pentecostes descendit, designat. Explicatur enim hic locus commodè per locum Act. 1. Vtrobique enim idem dicitur. Ioannem baptizare aqua, Christum vero baptizaturum Spiritu S. non post multos dies, hoc est in die Pentecostes. Quemadmodum igitur apud Mattheum ignis nomine non Spiritus S. sed ignis materiatus intelligitur: ita & apud Ioan. aquae nomine, non Spiritus S. sed aqua materialis intelligenda est. Quarto nullibi in Scriptura Spiritus S. aquae nomine significatur, quatenus aqua ad generationem spectat, sed tantum quatenus aqua vim habet mundandi & abluendi. Nam aqua ad generationem convenit ut materia: at Spiritus S. est causa efficiens, eaque precipua generationis nostrae spiritualis, nullo autem modo ut materia. Cum igitur Christus sic aquae meminit, quatenus ex ea renascimur spiritualiter, nullo modo intellexisse Spiritum Sanctum potuit. Denique praedictum est à Ioanne, Christum baptizaturum in Spiritu S. Ioan. 1. 33. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Matth. 3. 11. Mar. 1. 8. Luc. 3. 16. Act. 1. 5. Baptizaturus autem erat Spiritu S. etiam in Baptismo aqua

2.

3.

4.

5.

Quo sensu Spiritus S. aqua dicitur.

mo aqua. Hoc enim est quod dicebat Ioannes. Se baptizare in aqua, Christum verò (in suo quem instituit aqua Baptismo) baptizatum in Spiritu S. Et quemadmodum baptizando igne baptizabat in Spiritu Sancto: ita & baptizando in aqua. Alioquin non fuisset fortior Ioanne in suo Baptismo, siquidem baptizando aqua nil aliud præter aquam conferret, sicut & Ioannes.

Baptismus  
lavacrum  
regeneratio-  
nis.

Verbum vi-  
tæ quid.

Explicatur  
locus ad He-  
bræ. 10. de  
Aqua mun-  
da.

Verbo Dei  
regenera-  
mur.

Non per so-  
lam fidem.

Ex his igitur rationibus perspicuum est, temerè adversarios in hoc loco interpretari aquam, Spiritum S. necessariumq; esse aquæ nomine veram aquam, ex qua & Spiritu Sancto in Baptismo renascimur, intelligere. Ad quod etiam Paulus ad Tit. 3. 5. alludit, cum ait. Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovacionis Spiritus S. Dicitur enim lavacrum regenerationis Baptismus, quia dum eo lavamur, regeneramur. Nam quod Catechesis Racoviana exponit; lavacrum regenerationis purgationem animorum, quæ verbo fit, uti dicitur Ephe. 5. 26. Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ. An non is ipse locus convincit lavacrum regenerationis esse lavacrum aquæ Baptismi. aqua enim propriam & elementarem aquam designat. Quum verò additur in verbo vitæ, denotatur ex communi Patrum expositione illud verbum quod in Baptismo habet vim regenerandi, quodq; ad formam Baptismi pertinet, hoc est, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Non enim aqua sola, sed verbo conjuncta habet vim mundandi in Baptismo. Nam & id quod Catechesis adducit ex Hebr. 10. 22. Aspersi corda à conscientia, & abluti corpus aqua munda, non posse intelligi de Baptismo, cum ij ad quos Paulus scribit jam essent baptizati: nos quoq; idem fatemur: at negamus quod adversarij volunt, intelligi, eam aquam esse verbum & doctrinam, nisi fortè velint verbo corpora ablui. Alludit igitur Paulus eo loco ad ablutiones, quæ fiebant in lege, & monet ut accedamus omnino mundi, sicut ij qui in lege aqua illa legali abluiebantur, mundi censebantur. Quamquam qui hunc locum de Baptismo cum Chrysostomo, Theophylacto, Theodoro, Oecumenio intelligere vellet, dicere posset sensum esse: Accedere nos debere ea munditia retenta, quam ex Baptismo semel suscepto acquisivimus.

Restat igitur ut ad fundamentum Moscorovij respondeamus, cum ait, nos non aliter quam verbo Dei generari. Ut enim concedimus verbo Dei nos regenerari, ita multum discrepamus ab Adversariis in modo quo nos verbo Dei regenerat. Nam ipsi verbo Dei soli per fidem accepto regenerationem & justificationem tribuunt: nos autem ex scripturis solam fidem

fidem ad id satis esse negamus, sed fidem esse tantum initium justificationis & regenerationis nostræ. Per fidem verò & verbum Dei demonstrantur media à Christo instituta ad justificationem & regenerationem nostram consequendam, qualia sunt Sacramenta, quibus non minus quam Fides tribuitur, salus nostra & justificatio. Neg, enim scriptum est: Qui crediderit tantum, salvus erit; sed, qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Quorum remisit peccata, remittentur eis. Hoc igitur modo ex verbo Dei & Fide oritur justificatio nostra, quia verbum Dei continet & suppeditat nobis media, quæ si usurpaverimus, justificationem consequemur. & nullum aliud medium ad justificationem valet, nisi ex verbo Dei depromptum, & Dei verbo demonstratum: non autem quod Dei verbum solum auditum, nos justificet. Hoc igitur posito dicimus aquam in Baptismo nos regenerare, quia ejus regenerationis modum, verbum Dei nobis suppeditat & demonstrat, cum Baptismo aqua salutem, peccatorum remissionem & regenerationem tribuit: & cum Baptismo regeneramur, verbo Dei regeneramur, quia verbum Dei continet in se hunc regenerationis modum: verbum Dei nobis attulit & suppeditavit hoc medium ad regenerationem.

At non solum Baptismi formam & effectum, sed & necessitatem tollunt. Clarè de eare decernit Catechesis Racoviana, cum de Baptismo loquens ait, non consistere in his externis regnum Dei. Neg, enim isti Baptismum requirunt, nisi ut ij qui baptizantur, profiteantur ea ceremonia se Christum pro Domino agnoscere: quod cum sine ea ceremonia innumeris alijs modis fieri possit, quis non videt homines istos omnem Baptismi necessitatem auferre. Quo fit ut magna hominum parti, pueris inquam omnibus aeternum interitum accersant, quos cum Baptismo privant, vitæ aeternæ privant. ita ut hoc sit inter alia præcipuum & singulare atq; crudelissimum Dæmonis inventum ad perdendam magnam humani generis partem. Nam adulti quocumq; modo Dæmon insidias struat, possunt per seipsos opem sibi afferre: pueri si ab alijs non baptizentur, sunt sine remedio, & pereunt in aeternum, omni ope destituti. Ajunt, se non videre hanc necessitatem Baptismi in pueris. videntes igitur non vident, quod dixit Christus dixit: Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei, hoc est, nisi quis spiritualiter regeneratus fuerit, & efficiatur Filius Dei, non potest regnum Dei consequi. Si enim Filij & hæredes: hæreditas illa cælestis, non datur nisi Filiis, qui ex Deo nati sunt.

Sed per me-  
dia verbo  
Dei conten-  
ta.

Ariani tol-  
lunt Baptis-  
mi necessi-  
tatem

Arcani pri-  
vant salute  
magnâ ho-  
minum par-  
tem.  
Dæmonis  
inventum.

Necessitas  
Baptismi  
parvulo-  
rum osten-  
ditur.

sunt. Aut igitur parvuli non erunt heredes regni caelestis, aut regenerari illos opus est & renasci. Iam quæro à Moscorovio quomodo parvuli regenerantur? num verbo, quem unicum modum ait esse, quo secundum scripturas homines renascuntur? At infantes nec verbi nec prædicationis capaces sunt. Aut igitur non renascentur, & sic in æternum peribunt: aut alio modo renascentur, nempe per Baptismum ex aqua & Spiritu Sancto. Tanta igitur necessitas est Baptismi, quod ad infantes attinget, quanta est regenerationis spiritualis.

Fides in parvulis ad Baptismum non requiritur.

Ajunt Baptismum non conferri nisi credentibus, idq; mandato Christi dicentis. Qui crediderit ac baptizatus fuerit, salvus erit. At qui sole clarius est, Christum de ijs eo loco agere, qui per prædicationem convertuntur ad Fidem & admittuntur ad Baptismum; in ijs enim ille ordo servandus est, ut primum credant, deinde baptizentur: ad infantes autem is ordo non pertinet. Nam uti prædicatione ad illos non pertinet, ita neq; fides: que est prædicationis effectus. Dices, ergo nec Baptismus pertinebit. Minimè verò. Nam alia est Baptismi & Fidei ratio. Fides in infantes cadere non potest, cum sint rationis usu destituti; Baptismus potest: cum sit ritus externus spirituales regenerationem conferens. Infantes autem sicut sunt spiritualis generationis capaces, ita & Baptismi. Quod si nimis urgeant, ex eo quod parvuli sunt incapaces prædicationis & Fidei, esse quoq; incapaces Baptismi. urgebo & ego esse quoq; incapaces salutis. Hæc enim quatuor illis Christi verbis eo ordine collocata sunt, ut primo sit prædicatione, deinde Fides, tum Baptismus, deniq; salus. Non possunt igitur infantes arceri à Baptismo, nisi arceantur à salutē.

Impossibilia Deus nõ præcipit.

Et sanè mira est Adversariorum temeritas, qui Dei mandata quomodo libuerit ad suos sensus accommodant. Mandatum enim Dei de calice bibendo tantum esse putant, ut omitti sine salutis damno non possit: & tamen eorum respectu, qui naturaliter vini potum ferre non possunt, illud ita temperant, ut eis ad salutem non esse necessarium putent. cum sit illis impossibile: madata vero Dei gravia non sunt, tantuma abest ut sint impossibilia. Hic rursus ab infantibus fidem, que illis impossibilis est, ad Baptismum exposcunt; & idcirco eos Baptismo privant, quod credere non possint: cum potius ratiocinari debuissent in parvulis ad Baptismum non requiri fidem, quum credere non possint. Neq; enim Christus ad Baptismum requisivit conditionem impossibilem, neq; aliud remedium salutis pro parvulis præter Baptismum reliquit; unumq; ex duobus dicendum esset, aut

set, aut Christum pro parvulis mortuum non esse, eosq; non redemisse; aut si redemit, medium efficax ad salutem illis providisse: quod non est aliud nisi Baptismus. Cur enim sunt Baptismi incapaces? An quia non credunt? At hanc conditionem à parvulis utpote impossibilem Christus non requisivit. An quia regenerari Spiritualiter non possunt, quod Catechesis Racoviana censuit? Regeneratio enim, inquit, rationis, & voluntatis nostræ transformationem, & ad doctrinam Christi compositionem, que in pueris locum non habet, continet. At si ita est, nec S. Ioannes, qui in utero Spiritu S. repletus & Sanctificatus est, nec pueri innocentes, qui pro Christi nomine interfecti sunt, regenerati sunt Spiritualiter, nec facti Filij Dei: quod etiam pertinent omnes ij infantes, qui ante Christum circumcidebantur. Quod si homo nasci potest, etiamsi statim uti ratione non potest: cur infantes Filij Dei nasci non possint, etiamsi statim opera Filiorum Dei non faciant? Nascendo enim potentia tantum & facultates agendi acquiruntur: etsi ea potentia ab agendo multo tempore impediuntur. Id ergo quod in naturali generatione accidit, in Spirituali quoq; contingit. Potentia enim nostra intellectus & voluntas Spiritualibus donis reformantur. non ut statim agant, sed ut, cum opportunum fuerit, agere possint. Et certè parvuli aut ad regnum caelorum non pertinent, contra expressa Christi verba dicentis: Talium esse regnum caelorum; aut renasci Spiritualiter possunt, & esse Filij Dei, quum non nisi Filiis hereditas illa caelestis debeat.


Infantes Baptismi capaces.

Satis constat opinor, quantam injuriam Baptismo & Christiano nomini isti novi Ariani & Anabaptista faciant; ut vel ea sola ex causa, nemo tantos Christiana religionis hostes, Christiano nomine dignos censere possit. cum id quo Christiani omnes efficimur, quo nascimur Dei Filij, & in Christi familiam cooptamur, exterminant & è medio tollunt.

Finem huic Appendici faciam, si breviter locum 1. Ioan. 3. v. 7. à Moscorovij glossematibus vindicavero. Ait enim eo Ioannis loco: Tres sunt qui testimonium dant in caelo. Pater, verbum & Spiritus S. trium personarum unam essentiam non probari: solum enim dici vult tres esse, unum testimonio, non natura. At non videt Moscorovius tres testes in caelo adduci tanquam testes divinos, & testimoniū illorum dici ibidem testimonium Dei. Si testimoniū (inquit) hominū accipimus, testimoniū Dei majus est. Dicuntur autem, testes in caelo, non ratione loci duntaxat: Sic enim non tres, sed plurimi testes sunt divinitatis Christo in caelo: nempe Angeli omnes, sed quia sunt testes divini. Dei enim propria sedes caelum

Tres perso-  
nae sunt unū  
essentia.

cælum est. Porro si tres testes dicuntur esse unum natura & divinitate, tum quia dicuntur absolute unum: tum quia id pertinebat ad auctoritatem horum testium commendandam. quod cum sint unius divinitatis & naturæ, testimonium illorum summum haberi debeat ut pote divinum: tum quia nil attinebat de concordia horum testium dicere, de quo dubitare nemo poterat: at de veritate naturæ plurimum attinebat, ad demonstrandam parem, id est, summam & divinam illorum auctoritatem. Quod si adducant de tribus etiam terrenis testibus idem dici, & hi tres unum sunt, quos tamen constat non esse unius ejusdemq; naturæ: respondebimus primum eam lectionem esse dubiam, cum & in plurimis exemplaribus non habeatur, & in ijs quibus habetur varia est. Nam in Græcis legitur. Et hi tres in unum sunt. In nonnullis vero Latinis. Et hi tres unum sunt. Ex lectione autem tam dubia & varia, non potest ullum firmum argumentum elici. Deinde, neutra lectio nobis præjudicat. Nam si legamus Et hi tres unum sunt: Quid vetat hos tres terrenos testes, dicere unum naturæ & substantiæ, cum in unam Christi naturam coeant; Spiritus quem moriens Christus emisit. Aqua & sanguis que ex latere ejus transfosso emanarunt. Quod si aliam lectionem sequamur & hos tres testes esse in unum, id est conspirare in unum testimonium, interpretari velimus: vel ex eo ipso diverso loquendi modo colligemus, priori loco de naturæ unitate posteriori de unitate testimonij Ioannem locutum esse. Si enim utrobique de unitate testimonij loqui voluisset, utrobique, iisdem usus fuisset verbis. At cum diversè loquutus sit non idem procul dubio, sed diversum quid significare voluit. At de his hoc loco pro ratione instituti satis.



INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTURAE QVAE HIC secundum germanum sensum explicantur.

Cap.	ver.	Deuteronomij.	Pag.	Cap.	ver.	Vi sine unum, sicut &	Pag.
6.	4.	Audi Israel Dominus Deus tuus, Deus unus est.	68	17.	22.	nos unum sumus.	28.
		Isaia.	40.	17.	3.	Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM, & quem misisti IESUM Christum.	38.
42.	3.	Ego Dominus vocavi te in iustitia.	12.				
		Matthæi.	40.	17.	10.	Omnia quæcumq; habes Pater meæ sunt.	46.
28.	18.	Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.	19.	5.	18.	Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere; quia non solum soluebat Sabbathum: sed & Patrem suum dicebat DEUM æqualem se faciens DEO.	48.
25.	53.	An putas quia non possum rogare Patrem meum & exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum.	45.				
		Lucæ.		5.	19.	Non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.	49.
2.	35.	Ideoq; & quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius DEI.	97.				
20.	36.	Illi qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis filij sunt DEI.	101	5.	21.	Sicut Pater suscitavit mortuos & vivificat, ita & filius quos vult vivificat.	52.
2.	52.	Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud DEUM, & homines.	106	5.	23.	Ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.	52.
		Ioannis.		10.	30.	Ego & Pater unum sumus.	28.
1.	22.	Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit Filio.	20.	3.	16.	Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui	

I N D E X.

Cap.	ver.	maius qui credit in eum non periret sed habeat vitam eternam.	Pag.	Cap.	ver.	clamantem, Abba Pater.	Pag.
		<b>Actorum.</b>	119.	5.	2.	Ad Ephesios.	104.
2.	36.	Certissime scias ergo inis domus Israel, quia & Dominum eum, & Christum fecit DEUS, hunc Iesu quem vos crucifixistis.	67.	2.	9.	Propter quod & DEUS exaltauit illum & dedit illi nomen, quod est super omne nomen.	19.
13.	32.	Et nos vobis annunciamus eam qua ad Patres nostros repromissio facta est, quonia hanc DEUS adimpleuit resuscitans Iesu.	108.	2.	6.	Cum in forma DEI esset, non rapina arbitratus est, esse se equalem DEO.	47.
		<b>Ad Romanos.</b>				<b>Ad Hebraeos.</b>	
1.	3.	De filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui praedestinatus est Filius DEI in virtute secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.	86.	1.	7.	Cum iterum introducit primogenitum in orbem terra dicit: Et aduersus eum omnes Angeli DEI.	66.
		<b>Ad Corinthios Epistola I.</b>	108.	4.	14.	Habentes Pontificem magnum qui penetravit caelos.	70.
1.	4.	Etsi sint qui dicantur Dii, siue in caelo, siue in terra (sunt enim Dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus DEUS, Pater ex qua omnia & nos in illum, unus Dominus IESUS CHRISTUS per quem omnia, & nos per ipsum.	7.	8.	3.	Omnis Pontifex ad offerenda munera, & hostias constituitur, unde necesse est, & hunc habere aliquid quod offerat.	76.
		<b>Ad Galatas.</b>	22.	10.	5.	Ideo ingrediens in mundum dicit, hostiam & oblationem noluisse corpus autem aptasti mihi.	76.
4.	6.	Quoniam autem estis filij, misit DEUS Spiritum Filij sui in corda nostra.	22.	7.	3.	Quod interpretatur Rex iustitiae deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine Patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens.	87.

Index rerum praecipuarum quae hoc opere continentur.

	Pag.	Eorum de Christi diuinitate sententia.	35.
		Christum semideum semidominumque credunt.	35.
	45.	Ignorant DEUM.	44.
	46.	Christum ridicule DEUM verum nominant.	35.
	96.	Christus Ariani DEI vicarius.	38.
	103.	Ariani Christum faciunt DEUM metaphoricum.	44.
	130.	Ariani Christum faciunt ministrum DEI.	87.
		Ariani Christum verum esse DEI Filium negant.	84.
	2.	Ariani volunt Christum respectu generationis carnalis, dici & esse DEI Filium.	85.
	2.	Novi Ariani magis impij quam antiqui.	86.
	1.	<b>Charitas.</b>	137.
	2.	Charitas DEI duplex, generalis & particularis.	139.
	3.	Charitas DEI generalis non redit DEUM ex inimico amicum.	140.
	4.	Charitas DEI non minuitur, in Filio pro nobis dando.	165.
	4.	Ad immensa charitatis suae demonstrationem, Christus tot penas pertulit.	169.
	5.	<b>Christus.</b>	169.
	8.	Christus DEI minister quo modo.	20.
	13.	Vnus cum Patre DEUS.	18.
	13 &	Danatum est ei nomen super omne nomen quo modo.	22.
	14.		19.
	14.		
	16.		

I N D E X

Equalis cum Patre.	25 &	Non est imago DEI ratione do-	
Christo nomen Domini, Patri no-	46.	ctrina.	121
men DEI tribuitur.	22.	Quomodo visibilis.	121
Christo per quem omnia, Patri ex		Creatura.	
quo omnia.	23.	Creatura ob esse limitatum ne-	
Christus majori ratione DEUS		cessario a DEO dependet.	7.
quam alij in scriptura triplici ex		Non potest esse unius potentia	208
caus.	30.	cum DEO.	271
Christus cum Patre unum, tan-	30 &	Dicitur unum cum DEO spiritu	
quam eius filius naturalis.	31.	& charitate.	271
Ex operibus probat se esse cum Pa-	11 &	Pro DEO coli non potest.	308
tre unum.	32.	Potestas creata diuinum cultum	40.
Cur non dixerit aperte se DEUM		non meretur.	41
esse.	32.	Cultus diuinus.	
Nisi sit natura DEUS coli pro Deo		DEI cultus est, colere DEUM se-	
non potest.	39.	per omnia.	40.
Si sit Creatura & non Creator		Soli DEO Iehoua diuinus cultus	
pro Deo coli non potest.	36.	debetur.	40.
Christus non est DEUS subordi-		Fundatur in diuina essentia per-	
natus.	37.	fectione.	41.
Si non est essentia DEUS, non est		Non est idem specie DEI cultus	
verus DEUS.	37.	& creatura.	41.
Christum semideum dici non		Quam absurdum sit Christo cul-	
posse.	44.	tum deberi, ex solo DEI mandato.	41
Quomodo Sabbathum soluerit.	48.		
Eodem prorsus modo operatur quo			
Pater.	51.		
Exaltari potuit respectu humana			
natura, in qua se humiliauerat.	59.		
A Patre exaltari voluit duplici	60 &		
ex causa.	61.		
Nihil ignorauit.	79.		
Quomodo super omnia fuerit con-			
stitutus.	83.		
Sine Patre in terris, sine matre			
in coelis.	87.		
Quatuor Christi diuinitatis ar-			
gumenta.	119		

Non est imago DEI ratione do-ctrina. 121  
 Quomodo visibilis. 121  
 Creatura. 7.  
 Creatura ob esse limitatum ne-cessario a DEO dependet. 208  
 Non potest esse unius potentia cum DEO. 271  
 Dicitur unum cum DEO spiritu & charitate. 271  
 Pro DEO coli non potest. 308  
 Potestas creata diuinum cultum non meretur. 40.  
 Cultus diuinus. 41.  
 DEI cultus est, colere DEUM se-per omnia. 40.  
 Soli DEO Iehoua diuinus cultus debetur. 40.  
 Fundatur in diuina essentia per-fectione. 41.  
 Non est idem specie DEI cultus & creatura. 41.  
 Quam absurdum sit Christo cul-tum deberi, ex solo DEI mandato. 41

DEUS

Vnus tantum. s. 21. & c. 121  
 De uno DEO colendo maximum mandatum. 6.  
 Vnum DEUM colere proprium Christianorum. 6.  
 Ratione probatur plures deos esse non posse. 7.  
 Si plures dii summi & independentes statuuntur, nullus eorum erit omnipotens. 7.  
 DEUS qui non est omnipotens, DEUS non est. 7.  
 Repugnat

I N D E X

Repugnat DEUM esse alteri subor-	8.15	tur paterna substantia communica-	
dinatum, & ab altero dependen-	5	tio.	916
tem.	37.	In generatione Christi, spiritus	
Scriptura plures DEOS sed meta-		S. viri vicem supplens quoad effi-	
phoricos admittit.	9.	cientiam non quo ad substantia	
Iudices dii appellati.	10.	communicationem.	920
Moses DEUS Pharaonis.	10.	Ex sola Virgine, carnis mate-	
Dij metaphorici non sunt diuino		riam Christus accepit.	920
cultu affiendi.	10.	Ob actionem quam DEUS adhi-	
Scriptura unum Deum pradicat	11 &	buit in generatione Christi, non po-	
respectu cultus.	40.	test proprie dici Filius DEI.	930
Omnis alius DEUS ab uno DEO	12 &	Modus diuine generationis.	1108
diuersus est sculptile.	40.	Hic modus generandi DEO non	132
Deus verus non est sine DEI essen-	17 &	est impossibilis.	1130
tia.	38.	DEUS non eo modo genuit Chri-	
Vnus Deus verus.	37.	stum, quo alios filios.	114
Deus metaphoricus quis.	38.	Duplex similitudo Diuina gene-	
Gloriam suam Deus alteri non		rationis.	121
dat.	40.	Non omne naturale dicendum	
Filius Dei.		est cum quo nascimur.	124
Quo modo Christo Filio opera		Generatio Filij DEI ab aeterno	
sua demonstret Pater.	53.	fuit.	127
Non secundum carnem, sed secun-		Primogenitum dupliciter sumi-	
dum spiritum Christus est Filius Dei.	36.	tur.	132
Ratione cultus homines dicantur		Filij DEI generatio est verbi Di-	
Filij DEI.	98.	uini generatio.	132
Filius adoptionis quis sit.	103	Generatio de substantia DEI ne-	
Discrimen inter adoptionem		cesse est ut sit ab aeterno.	136
Dei & hominum.	103	Gentiles.	
Homines vere sunt filij Dei, non		Agentilibus Christiani in eo di-	
tamen veri.	115.	stant quod unum DEUM colant.	13
Christus non solum verus, sed &		Error gentilium in pluribus dijs	
proprius Filius Dei.	116	statuendis.	14
Christus Filius Dei unigenitus.	117.	Gratia.	
Christus natura non adoptione est		Gratia infusa non facit Chri-	
Dei Filius.	120	stum Filium DEI.	104
Generatio.		In remissione peccatorum Chri-	
Ad veram generationem requiri-		sto sit iustitia, nobis gratia.	162



I N D E X.

Per satisfactionem, quam sibi fieri voluit Deus in morte Christi dupli-  
cem nobis gratiam praestitit.

Honor.

Christi summus honor quis? 4.  
Idem Christo honor qui & Patri tribuitur.

Diivinus honor est summus. 128.  
Christo honor donatus est in toto mundo per nomen datum. 40.

Christo in premium laborum datum est, ut illi omnes actu serviant & genu flectant.

Ante mortem obligatio fuit Christo genu flectendi.

Immortale corpus manducare non repugnat.

Videri potest oculis corporeis.

Iudei.

Christi diuinitatem credebant.  
Qua sententia eorum fuerit de diuinitate Christi.

Eam Christus non improbauit.

Melchisedecus.

Assimilatus Christo, quod sine Patre & Matre describatur.

Figura tantum fuit.

Eius sacerdotium initium habuit.

Que illi adscribuntur, non possunt ad eius sacerdotium referri.

Passio & mors Christi.

Christus penas peccatorum nostrorum in corpore suo perpeffus est.

Deus author exitus mortis Christi nostri causus.

Maxima utilitas mortis Christi.

Pena pro altero suscipi potest.

Bonus quis pro alio esse non potest, at puniri pro altero potest.

Mors ut inferatur iniusta, ut recipitur sancta esse potest.

Discrimen mortis & aliarum punitionum.

Pena quam Christus pertulit quoad valorem maxima fuit, non quoad rationem pena.

Peccatum.

Christus patiendo pro peccatis portauit peccata.

Christus punitus pro peccatis nostris.

Peccata futura non remittuntur.

Christum totius mundi peccata expiasse ostenditur octo argumentis.

In Christi satisfactione maxime cernitur peccatorum grauitas.

Persona.

Persona quid?

Non repugnat in una essentia plures esse personas.

Persona vera & distincta a Patre est Spiritus sanctus.

Qualis personarum acceptio & distinctio apud Deum.

Pontifex.

Christus in terris Pontificatum exercuit.

Christus non metaphoricè, sed propriè Pontifex.

Potestas.

Potestas Christo donata est multiplex qua homo.

Potestas Christi ministeriali qua?

Potestas

I N D E X.

Potestas diuina qua? 20.  
Potestas iudiciaria diuina & humana. 208.

Potestas diuina Christo data naturaliter. 21.

Christi potestas intrinseca. 21.

Potestas diuina incommutabilis. 25.

Potestas diuina independens. 26.

Christi potestas in res omnes. 41.

In homines, in Demones, in Angelos. 44.

Potestas non facit Filium DEI. 45.

Reconciliatio.

Deus per Christum reconciliatus nobis. 107.

Deus Author nostra reconciliacionis. 139.

Remissio non pugnat cum satisfactione. 139.

Debitum reale soluitur solutione, non debitum personale. 164.

Regnum.

Christi Regnum duplex. 76.

Cælestis regni possessionem duplici titulo Christus adiit. 78.

Resurrectio.

Quomodo Christus post Resurrectionem dicatur factus Dominus. 54.

Christus Dominio suo non est usus ante Resurrectionem. 55.

Post resurrectionem nullum nomen accepit quod non ante haberet. 62.

Ante resurrectionem etiam perfectè Christus fuit. 69.

In Resurrectione non accepit premium Christus spiritum sanctificationis. 109.

Sacrificium.

In celis Christus sacrificium incruentum Patri offert. 71.

Christi sacrificium prestat, quod alia sacrificia non prestabant. 151.

Non est equandum sacrificium Christi alijs sacrificijs. 151.

Discrimen inter sacrificium Christi & veteris legis. 155.

Sanguis Christi.

Vim & efficacitatem sanguinis Christi Ariani tollunt. 141.

Sanguinis pretium Christus dedit pro peccatis. 141.

Sanguini Christi nulla conditio veripretij deest. 142.

Demoni sanguinis pretium non debebatur. 142.

Sanguis Christi verum pretium propter octo rationes. 143.

Sancti.

Cogitationes cordis ex Deo cognoscunt. 11.

Altaria & templa quomodo illis eriguntur. 12.

Inuocantur non ut dii, sed ut intercessores. 16.

Pro dijs non coluntur. 16 & 17.

Potestas eorum, diuinâ inferior. 16.

Saluator.

Qualis Saluator Christus secundum Arianos. 137.

Quomodo redemptio aeterna à Christo facta. 154.

Deus penitentiam à veteribus exigebat fundatam in fide promissi Redemptoris. 160.


Mira DEI in nos clementia extitit eo

I N D E X.

<i>Ita enim ipse, quod Christus pro nobis</i>		<i>Christus à sua Conceptione potest</i>	
<i>satisfacere voluerit.</i>	161	<i>sedere ad dexteram Dei.</i>	30.
<i>Satisfactionem exigere, non pugnat</i>		<i>Quomodo Christus super solium</i>	
<i>cum liberali condonatione in</i>	162	<i>Davidis sedere dicatur.</i>	76.
<i>DEO.</i>		<i>Verbum diuinum.</i>	
<i>Sapientia.</i>		<i>Verbi generatio.</i>	132.
<i>Sapientia Christus non caruit in-</i>	105	<i>Omnia per verbum facta sunt.</i>	134.
<i>fans.</i>		<i>Mundus qui per verbum factus</i>	
<i>Sapientie demonstratione Christi</i>	106	<i>est, verbum non cognouit.</i>	134.
<i>proficiebat.</i>		<i>Esse Verbum Christo soli conuenit.</i>	135.
<i>Sessio ad dexteram Dei.</i>		<i>Christus non propterea Verbum;</i>	
<i>Quid sit sessio ad dexteram DEI.</i>	81.	<i>quia per illum Deus nobis locutus</i>	135.
<i>An Christus in terris degens sede-</i>		<i>est.</i>	136.
<i>ris ad dexteram Dei de facto</i>	82.	<i>Legatus non dicitur Verbum.</i>	136.

F I N I S.

*29. 206.*



*H-60327*

*БИБЛИОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА*

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА